



T. 160


17 Nürnberg


Wahlversteher

Wahlversteher









DISSERTATIO THEOLOGICA
De
MYSTERIO
SS. TRINITATIS

maximè e V. T. Scripturâ
demonstrato,

quam
Veneranda Facultatis Theologica consensu,

PRÆSIDE

DN. JO. BENEDICTO CARPZOVIO,

SS. Theologiæ Doctore ac Professore

Publico, Facultatis Theologiæ h. t. Decano,

Majoris Principum Collegii Collegiato, atq;

ad D. Thomæ Pastore,

Domino Præceptore, Patrono ac studiorum

suorum Promotore,

Placido Eruditorum Examini

in Academia Lipsiensi

publicè submittet

T 160

CHRISTIANUS VALERIUS ZEISIUS,

Oeltzschâ-Misn. SS. Theol. Stud. & Alumn. Elector.

die post ipsum SS. Trinitatis Festum secundo, h. e.

ad d. 24. Maji. MDCLXXXVII.

in Auditoriè Theologorum Paulinè.

Literis JOHANNIS GEORGI,

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

MYSTERIO

TRINITATIS

maximè à V. T. Scripturâ

demonstrato,

à l'Université de Halle par

le

DN. JO. BENEDICTO CARPZOVIO,

Théologus Docteur et Professeur

Publico, Facultatis Theologicae

Majoris Frisingae Collegii Collegatoris,

ad D. Thomae Scholae,

Domino Praeceptoris, Patrono ac

Magistro

Facultatis Juridicorum

in Acad. Hal. S. S.

CHRISTIANUS VALERIUS ZERLIS

Collegii S. S. Theol. S. S. Al. Hal. S. S.

Magistri

Facultatis Juridicorum

in Acad. Hal. S. S.

Magistri





בש הקב"ה :

CAPUT I.

In quò varii variorum errores 'circa Mysterium
SS. Trinitatis recensentur.



Notatu dignum ac singulare est, quod teste Plinio apud Frantz, P. IV. Hist. Anim. c. 1. *Serpentes nunquam in trifoliò videantur*; Vix verò magis ullibi serpens infernalis virus suum ostentavit, quam in Trifolio sanctissimò, h. e. doctrinâ de tribus in Deitate personis. Ut adeò verè dixerit Chamier in Corp. Theol. l. 3. c. 16. p. 10. *Vix ullus notari potest verae fidei Articulus, quem aequè cum isto impetierit Satan. Causa fuit Articuli natura tam aliena à creatâ naturâ, ac propterea incommoda, ut ita dicam, captui nostro. Addo, causam quoq; esse tentatam in Creatorem vindictam; cum enim cœlo beatorum pulsus æterno adjudicatus sit tartaro, quod æqualem cum Deò Majestatem affectare audebat, præter suam hanc & Angelorum quorundam defectionem homines quoq; in æternum corripere exitium non cessat, quod eò se facilius obtinere putat, cum varios eorum animis circa salutarem Θεογνωσίαν errores induxisset, quippè in quâ cardinem totius salutis positum esse Job. XVII, 3. probè novit.*

II. Ac nihil nunc quidem de iis dicemus, quos *Atheismo* inficere allaborat, ut Dei existentiam vel simpliciter negent, vel saltem de eâ dubitent, quod olim *Diagoram* Philosophum & Poëtam Atheniensem & *Theodorum Cyrenaicum* fecisse, autor est *Cicero* L. 1. de Nat. Deor. quibus & annumeratur *Protagoras*. Id saltem expendatur, quantam ubivis *Idololatriam* invexerit, ut cultum soli Creatori debitum creaturis deferant mortales. Quorum quidem omnium primum *Tera-*
chum idola invenisse, credidit Epiphanius; sed Augustinus eum ab-

A 2

solvit

DE MYSTERIO

4
 solvit, *Nachore* substitutô; Alii *Zoroastrem* primum Idololatram faciunt. De quô uti nihil certi statuere licet, ita certum est, & vix quisquam credet, Gentiles olim in Deorum numerum primum mortuos homines, eosque impuros, obscenos, adulteros, & omni vitiorum genere insignes retulisse; deinde & animantia ratione carentia, imò venenata, boves, serpentes, crocodilos, anseres, herbas item & arbores, cœpas, allium; varia deniq; avium, piscium, ferarum, & aliorum animalium genera. Præterea coluisse spiritus, exercitus cœlorum, heroes item & heroinas & quæ post horum mortem ipsis erigebantur columnæ, statuæ, simulacra, & alia symbola; ac totam ferè tandem Naturæ universitatem, à quâ aliquid commodi, vel incommodi aut metûs. Virtutes quoq; deificarunt, Fidem, Constantiam, Prudentiam &c. & Vitia, Amores, Voluptates, Cupidines, Libidinis instrumenta ipsa; & animi affectus & perturbationes, Timorem, Pavorem, Pallorem &c. & corporis morbos, Febrem, Hæmorrhoidas, Epilepsin, denique rubiginem & stercus, ne ventris quidem crepitu exceptô. Inde est, quod in unô eodemq; homine 600. inveniri Deos dixerunt. Romani, observante Eusebiô *L. V. Prepar.* ultra 30000. numerarunt. Adeò ut tantum cogitandis faciendisq; Diis occupatum fuisse hominum ingenium diceres. Confer Augustin. *L. 3. de C. D. c. XII. & L. ad Quod vult Deum c. XI.* Nec hodiè desit hæc apud incredulos *ἰδωθῆνα*. Sola enim Japoniorum Numinum idola dicuntur esse numero 13000. quorum nullum genus desit in aulâ regiâ, utpote quæ pro salute Regis excubias agere fingunt. Vid. Hornbek. *de Convers. Ind. L. I. c. V. p. 55.*

III. Quod si porrò *Hæreticorum* Catalogos percurramus, quales jam olim Philastrius atque Augustinus confecerunt, à ceterioribus subinde interpolatos, proh! quanta seges ubiq; errorum circa tremendum SS. Trinitatis mysterium! Percurramus saltem præcipuos, inter quos (I.) primum locum meritò tribuimus *Hæreticorum* Patri *Simoni Mago*, qui sese Deum Trinum mentiri non est veritus. Nam audacissimè tradidit, de cœlô se descendisse in Samariâ ut Patrem, inter Judæos ceu Filium apparuisse, in reliquistanquam Spiritum S. adventasse. Cumq; divina omnia sibi arrogaret, eo obtinuit, ut Romæ sub Claudio pro Deo haberetur, statuâ ipsi ad Tyberim inter duos erectâ
 pontes:

SS. TRINITATIS.

pontes hâc inscriptione : *Simoni Deo Sancto*. Succedit (II.) *Cerinthus*, qui Jesum esse hominem sine divinitate delirabat, in quem Christus (sic Spiritum S. vocabat) columbæ figurâ descenderit. Seqvuntur (III.) *Marcion & Cerdo*, qui circa A. C. 157. detestandum errorem de duobus principiis spargebant, altero malo, severo, & peccata puniente, quod Deum V. T. & Autorem Legis : altero bono, longanimi & benefico, quod Deum N. T. & Autorem Evangelii Marcion vocavit. (IV.) *Manes* itidem duo fingebat Numina, ingenita & æterna, *Φῶς καὶ ὕλην*, sibiq; invicem contraria, unum bonum, & omnis boni in naturâ causam, alterum malum, à quô & culpæ & pœnæ mala. Hujus sectarii *Dytheitæ* vocati sunt, & cum his fecerunt quoque *Gnostici*. (V.) *Arius* Trinitatis doctrinam sic impugnavit, ut Filium *ἐμοῦσιον* cum Deo Patre negaret, Spiritum S. autem creaturæ sc. Filii creaturam affirmaret. (VI.) *Macedo* Filium quidem Dei agnovit Patri consubstantialem, Spiritui S. autem istum honorem tribuere noluit, creaturam potius à Deo per *λόγον* è nihilò factum contendens. Hinc ejus sectatores *πνευμαλομάχοι* sunt dicti, æquè ut Ariani *χειρόμαχοι*. (VII.) *Noëtiani, Sabelliani, Praxeani, & Hermogeniani* nomina quidem Patris, Filii, & Spiritus S. in Deo admittebant, sed rem ipsam, tollebant, dicentes, eundem Deum, seu eandem rem iisdem tribus nominibus Patrem, Filium, & Spiritum S. propter diversos respectus, v. g. ob creationem cœli & terræ Patrem, ob Redemptionem generis humani Filium, ob Regenerationem & Renovationem Spiritum S. vocari. (VIII.) *Joh. Philoponus* occurrere volens Arianorum errori, qui unam Divinitatis statuebant personam, in alterum incidit extremum, novamq; *Tritheitarum* hæresin progenuit, tres quippe professus Deos. Quem seculò superiori secutus *Valentinus Gentilis* natione Italus, qui tres itidem æternos, Patrem, Filium, & Spiritum S. essentiali numerò differentes docuit, & A. 1566. Bernæ capite propterea multatus. (IX.) *Samosatenus & Photinus* dixerunt, Patrem quidem esse verum & æternum Deum, sed Filium seu *λόγον* ante incarnationem non fuisse rem subsistentem, sed ideam, conceptum & sermonem Dei, ac tum demum cœpisse rem esse subsistentem, & verè Filium Dei, cum conceptus est in uterò Virginis, & factus est homo. Spiritum quoque S. non esse rem subsistentem, sed Virtutem Dei, quâ

DE MYSTERIO

in sanctis suis Deus operetur, eosque regat. Quem errorem seculò superiori *Michael Servetus Arago Hispanus* in scenam iterum produxit septem libris de erroribus Trinitatis Basileæ Anno 1531. evulgatis. (X.) *Petrus Abailardus* seculò XII. gradus in Trinitate posuit, & Spiritum S. de Essentia Patris esse negavit. Quem ideò *Bernhardus Platoniam* potius credidisse Trinitatem, i.e. tres Deos statu Divinitatis & Majestatis diversos dixit.

IV. Hodie *Sociniani* in allatrandò hòc mysteriò palmam reliquis præripiunt, dum *Arii* & *Photini* damnatam olim doctrinam ex orco revocarunt, Judæis adeò propinqui in hòc fidei Articulò, ut aliquando *B. Joh. Müllero* Judæus confessus sit, si Christianus fieri debeat, se malle *Photinianam* eligere Religionem, quæ ut unam Essentiam, ita unam personam divinam credat, ac *Judaismo* maximè propinqua sit. Vide ipsius *Judaismum* L. II. c. 1. p. 1146. Non tantum enim Scripturæ ac rationi repugnare dogma hoc scribunt, sed cognitionem quoque ejus saluti esse noxiam perhibent. Trinitatem in *Nicenâ* & *Constantinop.* Synodis primùm fabricatam esse calumniantur. Imò *Socinus* in Ecclesiam hoc dogma ab Antichristi Spiritu invecum pronunciat, & esse vehementem errorem, blasphemum & horrendum dogma, commentum per Satanam Ecclesiæ obtrufum, &c. Ausi sunt inde non tantum A. 1638. *Racoviæ* librum sub titulò: *Tormentum de thronò Trinitatem deturbans*, edere, sed & *Confessores* veræ fidei infamem sectam, seipfos autem *Monarchianos* & *Unitarios* appellant, *Antitrinitariorum* pessimi. Interim Christo Filio Dei personalitatem concedunt, non autem divinitatem: Spiritui S. contra concedunt divinitatem, verum non personalitatem.

V. Sed præterea nec *Pontificii*, nec *Calviniani*, nec *Arminiani* de hòc Articulò per omnia rectè sentiunt. *Pontificii* enim, præterquam quod nunc mysterium hoc Trinitatis tantum fide implicità, nunc neq; implicità neq; explicità creditu necessarium asserant, & simul è sacris literis sine Traditionibus Ecclesiæ sufficienter posse probari negent; Patri quoque majoritatem in ordine ad cœteras SS. Trinitatis personas tribuunt, & Spiritum S. principalius à Patre, quàm à Filio procedere docent, eoq; tandem procedunt dementiæ, ut in publicis Missalibus Mariam Trinitatis universæ matrem salutare non verean-

reantur, neque dubitent, Baptismum vocare legitimum, si quis baptizet in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. & B. Virginis. Unde B. Dorschæus *Interv. pro Myst. Trin.* in solis Jesuitis circa hanc doctrinam usque ad 37. errores observavit. *Calvinianorum* non postremus Pifcator tres Personas divinitatis vocat tres causas principales socias salutis, & Filium respectu Patris causam instrumentalem. Bucanus Patrem vocat causam fidei, & *ουνοίνα* Filium atq; Spiritum S. Wolfg. Musculus de Trinitate loquitur quasi de re minus arduâ, sed intellectui atque sensibus obviâ, non esse difficile, inquit, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate cognoscere. De creatione cum sermo est, Patrem, Filium, & Spiritum S. causas creationis socias vocant. Et quid non ausus in hoc mysteriô Keckermannus? Qui post plurimos errores admissos sublimitatem ejus tandem supprimit, ex ratione illud demonstrare annisus. Quantum à normâ sanorum verborum aberrat Zanchius, dum Part. II. de tribus Elohim L. 2. c. 7. tres personas in Trinitate partes divinitatis essentielles vocat? &c. *Arminiani* denique seu *Remonstrantes* è Calvinianorum scholâ in Belgio procedentes usum doctrinæ hujus practicum, quasi nihil aut parum faciat ad pietatem, inficiantur, simul & necessitatem credendi æternam Filii Dei generationem & Spiritus S. processionem in dubium vocant, ut exinde nec iis salutem posse adimi putent, qui sentiunt, Deum esse individuum sub tribus nominibus. Quapropter cum veritatem hujus Articuli non certam admittant, sed opinabilem, Symboli Athanasiani Proœmium & clausulam crudelem & tyrannicam vocant, quod de omnium hoc firmè non credentium salute desperet. Quare etiam Judæos, imò & Turcas ab idololatriæ crimine absolvunt, & extat Arminiani Poetæ, Casp. Barlæi Epigramma in hunc sensum ad Judæum R. Menassen Ben Israel scriptum, cujus occasione Nicol. Vedelius libros de Deo Synagogæ edidit, Barlæo cæterisque Arminianis oppositos.

VI. Utinam verò in Ecclesiâ verâ, quæ Lutheranorum est, orthodoxia hujus Articuli sancta ubique servaretur. Sed qui tot hætenus turbas excitarunt *Syncretistæ*, non temperarunt sibi, quin in hac etiam doctrinâ de SS. Trinitate easdem cum Remonstrantibus tibi-

bias.

DE MYSTERIO

8
 bias inflarent. Nam & mysterium hoc in V.T. nec creditum, nec ad salutem necessarium fuisse, proinde nec ibi aperta, animumque convincentia dicta, sed vestigia tantum contineri docent, & Judæos, imò & Turcas ab idololatria dicunt esse immunes, & Symbolum Athan. cum Remonstrantibus crudelitatis accusant, quòd anathema dixerit aliter credentibus. Quorum opinionem majorem partem amplexus *Thomas Reinesius* professione Medicus, atque inter nos quidem, sed sibi sapiens qui *Epist. XI. ad Vorstium p. 32.* de revelatione mysterii hujus in V.T. audacter nimis: *Sum cum illis, inquit, quibus placet, Trinitatis SS. mysterium ab initio fuisse revelatum, sed obscuriusculè: non publicatum, sed occultè inspiratum, & figuris adumbratum; insinuatum magis à Lege Mosaicà, quàm declaratum, umbris & figuris delineatum, ut ait Erasmus, creditum etiam, sed Patriarchis solùm & Prophetis, non omnibus omninò fidelibus: & necessariam igitur omnibus fidem SS. Trinitatis non fuisse: pervulgatam verò ejus notitiam reservatam temporibus N. T. Quo nomine etiam B. Kromayero in *Loc. Anti-Syncr. Cap. de Relig. Prud. p. 319.* vapulat.*

VII. Et hætenus quidem Hæreticos atque Schismaticos recensuimus, qui Christianam Religionem professi in doctrinam sanam de hoc mysterio impingunt. Restat ut *Mohammedanos* quoque & *Judæos* memoremus, apertos Christiani nominis hostes. Quorum illi Deum adorant non nisi unam personam subsistentem, & Christianorum confessionem de Trinitate irremissibile associationis peccatum appellant, frivolis argumentis usi, quæ recitat *Hornbeck. L. 3. Summa Controv. p. 131.* Neque alium *Judæi* Deum, quàm mentis suæ idolum colunt, etsi se Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi gloriantur venerari. Non enim eundem cum Majoribus suis Deum adorant; Illi quippe non alium, quam essentiã unum & subsistentiã Trinum agnoscere, ipsi verò SS. Trinitatem execrantur, Filium blasphemant, & in sensum reprobum dati, suo, quem sibi fingunt, Deo monstrosa planè tribuunt, qualia non ita pridem *Georg. Conrad. Victor, Profelytus Ex-Judæus* in libello *Germanicò de suã Conversione ad matrem scriptò p. 29.* collegit.

CAPUT

CAPUT II.

In quô vera ac salutaris doctrina de hoc mysterio
compendiosè repetitur.

I.

Vidimus errores aliorum in & extra Ecclesiam in doctrinâ de SS. Trinitate commissos. Jam *ὀρθοδοξίαν* breviter & ὡς ἐν συνόψει repetemus. De qua *initio* tenendum est, non nisi ex revelatione, olim ante scriptam legem Patriarchis vivâ voce tradita, inde postea usque huc ex scripturâ sacrâ hauriendâ nobis constare. Tres enim esse unum, & unum esse tres, est ὑπὲρ ὕψος, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πάντα καὶ ὑψίον, omne transcendit mentis nostræ acumen. Ipse Augustinus, cum aliquando mysterium Trinitatis intellectus sui acumine comprehendere studeret, vidit in maris littore scitâ formâ puellum, cochleari aquam maris in scrobem effossum transfundentem. Et quo successu, mi fili, inquit, hunc laborem te subire putas? Tum ille: Tu verò, mi Pater, respondit, majori fortassis conatu divinitatis intelligentiam aggredieris, ac successu non eris felicior. Et hoc dicto evanuit.

II. Deinde probè sunt dignoscendi termini & nomina apud Hebræos, Græcos, Latinos, Germanosq; in hâc doctrinâ usurpari solita. Hebraei Trinitatem innuere solent trinâ nominis יהוה & שׁוּבָה repetitione. Divinitatem, Essentiam, & Naturam tribus personis communem vocant שׁוּבָה, alii יהוה item תּוֹשִׁיבָה. Personam appellant פְּנֵימָה facies, nec quicquam aliud Cabbalistsæ veteres per suas פְּנֵימָה intellexerunt. Græci pro vocabulo *Essentia* usurpant ἔσις; per ἰμορσία intelligunt Unitatem cum distinctione unius ac alio. Personam nunc vocant ὑπόστασις, nunc ὑπαρξίς, nunc ὁμοούσιον, nunc ὑπόστασις, nunc ἁτομόν. Deum in tribus personis subsistentem appellant τριάς ὑπόστατων. Apud antiquissimos Scriptores occurrunt quoque τριάς & τριάς, quorum illud *Essentia* unitatem, hoc personarum Trinitatem denotat. Observat *Sozomenus Hist. Eccl. l. 5. c. 12.* terminum *Triados* tempore Athanasii & Eusebii Alexandria multarum civitatum Episcopis ibi congregatis, & Spiritum S. Patri & Filio coessentialem

lem esse confitentibus, ortum. Apud *Latinos* Græcorum ἁπλοῦς exprimitur per *Essentiam vel Substantiam*; Malunt tamen uti nomine *Essentia* quàm *Substantia*, tum quia Dei *Essentia* non inclusa est *Categoriis*, tum quia *Deus* non substat *Accidentibus*, tum denique quia nomen *Substantia* est ambiguum, interdum enim significat ἁπλοῦς, interdum ὑποστάσις. Propriè autem ὑποστάσις respondet *Latinorum Persona*, quæ vi etymi idem est, ac *per se una*. *Essentiam* in personis trinam vocant *Trinitatem*, quæ est quasi *Trium unitas*. Concretum hujus vocis in *Scripturis* extat; nim. *1. Job. V, 7*. Abstractum apud antiquissimos *Ecclesiæ* *Scriptores* *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Tertullianum*, *Justinum Martyrem*, *Ambrosium*, & alios reperitur. Vocabulum verò *Triplicitatis*, quod inæqualitatis arguit *comparationem* & *essentia* *multiplicationem*, profus ab hâc doctrinâ exulare debet, utpote pro *Trinitatis* *Synonymo* nullo modo habendum. *Triplex* enim est, quod è tribus compositum, *Trinum* verò, quod unum idemque *essentiâ* in tribus ὑποστάσεσιν subsistit. *Triplicem* ergò *Deum* dicere *Christianâ* *Religione* prohibemur: *Trinum* verò dicimus, & *Trinitatem* contra *Antitrinitarios* defendimus. *Germani* *Essentiam* vocant nunc *Substanz*, nunc *Wesen*. *Personæ* nomen retinetur. *Trinitas* vocatur *Dreysaltigkeit* / sed cum illud potius significet *Triplicitatem*, idè rectè explicandum, & accuratius substituendum nomen *Dreyeinigkeit*. Atq; hæc vocabula, licet totidem syllabis omnia secundum *literam*, & quoad *verba expressè* in *Scripturâ* non extent, habentur tamen in eâdem quoad *rem*, secundum *sensum*, *implicitè*, & *necessariâ* *consecutione*.

III. Ipsa doctrina in eò consistit, ut credamus, in una & simplicissimâ Dei *essentia* tres esse *personas*, *coæternas*, *coæquales*, *consubstantiales*, *Patrem*, *Filium* & *Spiritum S.* ita tamen *distinctas*, ut *Pater* non sit *Filius*, nec *Filius* *Pater*, & *Spiritus S.* alia sit *persona*, quàm *Pater* & *Filius*. Hæ tres *personæ* sunt unus ille & *verus* *Deus*, de quarum *singulis* *Essentia* *divina* prædicatur, non ut *Genus* de *Speciebus*, nec ut *Species* de *Individuis*, nec ut *totum* de *partibus*, ita ut quædam *Divinitatis* *pars* sit in *Patre*, quædam in *Filiò*, quædam deniq; in *Spiritu S.* Sed modò quòdam aliò ineffabili & incomprehensibili, ad eò ut omnes *personæ* *Trinitatis* sint unum ταυτότητι τῆς ἁπλοῦς, *essentialiter*

SS. TRINITATIS.

cialiter, & essentia tota sit in singulis personis, nimirum tota in Patre, tota in Filiò, tota in Spiritu S. propter infinitatem & immaterialitatem, sitq; communicabilis, & habeat in personis mutuam *ἁπορίστη* & immanentiam. Sunt itaque tres personæ ipsa Essentia divina, & una illa divina Essentia planè idem est, quod tres illæ personæ.

IV. Hæc doctrina sicuti in sacrâ Scripturâ aperte nobis revelata est, in primis in illâ Classicorum locorum trigâ, tum in historiâ de Baptismò Christi, ubi sese tres Deitatis personæ manifestarunt, & quidem *Voce Pater, Natus Corpore, Flamen Ave, Matth. III.* Tum in nostri Baptismi institutione, quem in nomine Patris, Filii & Spiritûs S. fieri iussit *Matth. XXIX, 19.* Tum in testimoniò Johanneò *1. Iob. V, 7. Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt;* Ita eam sanctè tenemus ac confitemur non modò in tribus Symbolis, Apostolicò, Nicenò, & Athanasianò, Symbolicis libris nostris præmissis, sed & in Augustanâ Confessione Art. I. *Una est essentia divina, quæ & appellatur, & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensâ potentiâ, sapientiâ, bonitate, Creator & Conservator omnium rerum, visibilium & invisibilium, & tamen tres sunt personæ, ejusdem Essentiæ & potentia, & coeternæ, Pater, Filius & Spiritus S.* Et in Articuli hujus Apologiâ p. 50. *Constanter affirmamus, aliter sentientes extra Ecclesiam Christi, & idololatrias esse, & Deum contumeliâ afficere.* Et in Articulis Smalcaldicis p. 303. *Pater, Filius, & Spiritus S. in unâ divinâ Essentiâ & naturâ tres distincta personæ sunt unus Deus, qui creavit cælum & terram.*

V Meræ ergò calumniæ sunt Pontificiorum, quibus nos per B. Lutheri latus pungunt, dum eum dupliciter sese hostem hujus Articuli, ipsiusque SS. Trinitatis demonstrasse criminantur, tum quòd *Tom. VII. Ien. Germ. p. 366.* SS. Trinitati comparaverit tres fures in uno patibulo; tum quòd ex Litaniis verba hæc: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nostri,* expunxisset, quòd Bellarminus in *Prefat. Controv. de Christo* objicit. Sed quòd prius attinet, Respondemus ex intentione & connexione verborum Lutheri, quibus tale argumentum Alberto Cardinali objicere voluit: Quicquid Cardinalis Albertus supra omnia mundi bona, contra divina humanaq; jura quærit, optat, machinatur, illud est ipsi SS. Trinitas, idèq; ille Dei locò habet. Atqui

tres istos honoratissimos Viros, Ludovicum Rabum, Antonium & Johannem Schenizios Cardinalis impietati se opposcentes ex unô patibulô pendentis videre Cardinalis Albertus supra omnia mundi bona contra divina humanaque jura, quarit, optat, machinatur. Ergo tres istos honoratissimos Viros ex unô patibulô pendentis videre, est Cardinali Alberto desideratissima & sacratissima Trinitas, idque Dei locô habet. Vid. B. Dorſch. *Intervent. pro Myst. Trin. Proem. p. 2. 7. 8.* Quoad alterum, negamus Lutherum mentionem SS. Trinitatis è Litaniâ expunctam voluisse, & contrarium evincit diserta trium personarum compellatio: *HERR GOTT Vater im Himmel / erbarm dich über uns; HERR GOTT Sohn der welt Heyland / erbarm dich über uns; HERR GOTT heiliger Geist / erbarm dich über uns.* Quòd verò à Germanicò terminò Dreyfaltigkeit abstinerit, inde factum, quòd minus commodè in hóc mysteriò noverit adhiberi, nisi diligenter rudi populo explicetur. Vid. Chemnic. *Ev. Dem. Trin. P. 2. p. 274.* & Gerh. *L. 4. c. 1. p. 86.*

VI. Cæterùm ad sententiam nostram meliùs declarandam de singulis quædam distinctè monemus. *Essentia Dei* consideratur *dupliciter, vel absolute*, quatenus communis est toti Trinitati, & omnibus ejus personis, & tota in singulis, una, eadem & individua Essentia. *Vel relative*, *ἡ ἑστὴ ὑπάρξις*, modò subsistendi, quatenus in unâ & eâdem Essentiâ personæ realiter distinguuntur, & sunt incommunicabiles, & non differunt quidem essentialiter, distinguuntur tamen personaliter, nempe proprietatibus, respectibus & attributis hypostaticis.

VII. *Pluralitas*, quæ est in Essentiâ divina, neq; est *Accidental*, neq; *Essentialis*, sed *Hypostatica & Personalis*, ita ut *ἡ οὐσία* seu Essentia una quidem sit, *ἡ πρὸς αὐτὴν* verò seu personæ plures, nempe ut Symbolum Athanasianum loquitur, alia sit persona Pater, alia Filius, alia Spiritus S. ita tamen alia atque alia persona, ut nihilominus horum trium una sit Deitas, æqualis gloria, coæterna majestas & potestas. Ad quæstionem autem Scholasticorum, *Utrum in personis Divinitatis sit numerus admittendus?* rectè respondetur distinguendò inter numerum *strictè & communiter* acceptum; ad illum requiruntur tria, (1.) ut sit multitudo quædam uno mensurata, (2.) ut talis numerus

merus

merus sit major quâlibet suâ parte, (3.) ut unitates inter se essentialiter sint distinctæ: *Hic est quæcunque pluralitas rerum, sive essentialiter ea sint distinctæ, sive non. Hunc ergò, non illum Deo tribui posse, docetur. Non enim numeramus in Deo propriè tres unitates, sed tres personas, seu personales relationes, quæ sunt una simplicissima unitas, una nempe Essentia, & nullò modò pluralitas quædam Essentialis. Ideoque quando Basilius Ep. 141. dicit: Nos Deum non numerò, sed naturâ unum confitemur; non intelligitur numerus propriè ac specialiter sic dictus seu prædicamentalis, Deus enim transcendentaliter, non prædicamentaliter unus est.*

VIII. *Persona* nomen primùm in Ecclesiâ ante *Praxea* & *Sabellii* hæresin non innotuit. Patres enim eò tempore nondum litigantibus Hæreticis securius loquebantur, & absq; ullò periculò appellabant *tria Nomina*. Cùm autem *Sabellius* apertè doceret, unam tantùm personam in Deitate esse, quæ tria haberet nomina, Ecclesia orthodoxa tria illa in Deo verè distincta appellavit *tres nominum proprietates*. Sed cum Hæretici hòc vocabulò etiam luderent, Ecclesia tandem terminò *trium Personarum* usa est, ut diceret, tres esse in unâ Essentiâ personas. Persona autem describitur, quod sit Substantia individua, intelligens, verè & per se subsistens, distincta ab aliis, incommunicabilis, non sustentata, nec conservata in aliò. Quam definitionem ita ad hoc mysterium inflexit Ecclesia, ut quod per finitudinem personæ humanæ competit, id in Deitate ab infinitâ personâ removeret. Atque sic disertè Augustana Confessio Artic. I. *Nomine personæ utuntur Ecclesiæ nostræ eâ significatione, quâ usi sunt in hac causâ Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem, aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.*

IX. *Prima* Trinitatis persona est *Deus Pater*, qui Essentiam à nullò aliò, sed solus à se ipsò habet. Hic est principium & quasi fons Deitatis, non quidem ratione existentiae, quasi Divinitas Filii & Spiritus S. existentiam à Patre acciperet, sed ratione subsistentiae, ita ut ex ea ceu fonte non Deitas alia generandò vel spirandò promanaverit, sed ipsa Deitas Patris per æternam communionem est etiam Deitas ab æternò & in æternitate geniti Filii, & spirati Spiritus Sancti.

X. *Secunda* Persona est *Filius*, ejusdem cum Deo Patre essentiaæ atque potentiaæ, quem Pater æternus sine sectione, multiplicatione aut immutatione incomprehensibilis essentiaæ, admirandò & ineffabili modò, æternum ab æternò, tanquam gloriae suæ characterem progenuit *Pf. II, 7*. Rectè igitur æquè ac Pater dicitur *αὐτὸς ὢν*, quod idem sonat, atq; *eum*, qui *Deus est in se ipso*, seu totam ipse *Essentiam divinam habens*. Vide B. Scherz. *Syst. Def. Loc. 2. p. 71*. Cum verò hæc secunda persona in tempore homo facta sit, quaeritur, *An etiam assumat humanam Christi naturam ad SS. Trinitatem pertineat?* quod affirmamus, propter inseparabilem ejus cum divinâ naturâ unionem. Recteque Paulus Emisenus apud Cyrillum anathematizandos, ait, omnes, qui *totum Filium* in Trinitate non retineant, *Deum & hominem*.

XI. *Tertia* persona est Spiritus S. à Patre & Filiò divinam Essentiam habens per æternam Processionem; & *Spiritus* dicitur tum à characteristicâ proprietate, (de qua mox plura,) tum ab operatione, quod motus spirituales in cordibus hominum excitet; *Sanctus* verò dicitur iterum à singulari operationis modò, quod proximè & immediatè sanctificationem præstet. Aliàs enim & Pater, & Filius cum Spiritus est, tum Sanctus; sed tertiæ personæ peculiari modò ac ratione competit, ad designandam naturam, proprietates, & beneficia.

XII. *Distingvuntur* tres illæ personæ Divinitatis non essentialiter, non accidentaliter, non ratione tantum, cogitatione, appellatione, quod in Scholis *λόγῳ* differre dicitur; sed *ἡρώπῳ ὑπάρξεως, κατὰ τὸ εἶναι*, realiter, personaliter & reverà, ita ut alia sit Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. Unde Proprietates Characteristicae probè sunt attendendæ, quarum alia cujusque personæ est interna, alia externa. Proprietas characteristica personalis *Dei Patris* interna est generatio activè dicta *Pf. II, 7. Hebr. I, 5*. externa spectatur vel in relatione ad universas creaturas, ut est Creatio, vel in relatione ad Ecclesiam, & est missio Filii ac Spiritus Sancti *Gal. IV, 4. 6*. Proprietas characteristica personalis *Dei Filii* interna est æterna natiuitas, seu generatio passivè dicta; externa Redemptio hominum. Proprietas characteristica personalis *Spiritus Sancti* interna est Processio à Patre & Filiò; externa Sanctificatio. Pulchrè de his Proprietatibus Augustinus; *Proprium est Patris, quòd solus est Pater, & quòd*
ab

SS. TRINITATIS.

ab aliò non est, nisi à se. Proprium est Filii, quòd à Patre genitus est, solus à solò, coeternus & consubstantialis Genitori. Proprium est Spiritus Sancti, quòd nec ingenus, nec est genitus, sed à Patre & Filio coequaliter procedens.

XIII. Inculcandæ etiam sunt diligenter Regule in hâc doctrinâ sequentes (I.) Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa; hoc est, non uni soli personæ, sed simul omnibus tribuuntur, sine confusione tamen & servatò discrimine atq; ordine personalium proprietatum externarum. (II.) Opera Trinitatis ad intra sunt distincta: hoc est, suæ quæq; personæ propria, non communiâ omnibus. Sic solus Pater gignit, solus Filius nascitur, solus Spiritus S. procedit. (III.) In Trinitate nihil est prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ sibi coeternæ sunt, & coæuales. (IV.) Pater non est major Filio, nec Pater vel Filius major Spiritu S. Nec majus aliquid duæ personæ sunt, quàm una: nec tres simul majus aliquid, quàm duæ, nec major est Essentia in tribus, quàm in duabus, nec in duabus, quàm in unâ, quia tota est in singulis: Nec ipsa Trinitas est majus aliquid, quàm unaquæq; ibi persona, sed tam magnum, quàm singula. (V.) Esse Patris est esse Filii, & esse Spiritus Sancti, sed esse Patrem non est esse Filium, nec esse Spiritum Sanctum. (VI.) Concedimus, personam Divinitatis esse Substantiam, sed personas Divinitatis esse substantias non concedimus. (VII.) Sicut in personâ Filii θεος υιός est $\alpha\delta\delta\theta$ ου $\alpha\delta\delta\theta$, sed non $\alpha\delta\delta\theta$ ου $\alpha\delta\delta\theta$, sic contra in Trinitate est $\alpha\delta\delta\theta$ ου $\alpha\delta\delta\theta$, sed non $\alpha\delta\delta\theta$ ου $\alpha\delta\delta\theta$. (VIII.) Loquimur de Trinitate non ut debebamus, sed ut possumus.

XIV. Usus hujus fidei & doctrinæ est varius. Facit enim, ut Deum talem cognoscamus & invocemus, qualem se revelavit, quæ cognitio ad consequendam salutem summè necessaria est Joh. XVII, 3. Facit ad promovendam Majestatis divinæ gloriâ, simile enim in universâ rerum naturâ non datur, ubi una numero essentia tribus distinctis hypostasibus intelligentibus communis sit: quod prædicabant Angeli Jes. VI, 2. 3. Apoc. V, 8. 9. Facit ad gloriâ θεογονίας divinæ, quòd Deus Pater Filium propriam & unigenitum misit in carnem, subjecit eum Legi, cruci, &c. pro salute perduellium & peccatorum Rom. V, 8. c. VIII. 32. Facit denique ad certitudinem consolationis

solationis & spei nostræ de vitâ æternâ, quòd Deus Spiritus Sanctus ipse habitat in cordibus nostris, nobisq; *via Theologiae* testimonium perhibet *Rom. VIII, 11. 18. 26.*

XV. Sic pia habet totius doctrinæ de SS. Trinitate repetitio, in quâ nobis meritò cavemus à temeritate Scholasticorum datâ operâ quæstiones implicantium. Verè Mornæus *de Veritate Relig. Christianæ c. 5. p. 71. seq.* Enarrent illi nobis, inquit, quâ ratione geniti sint, cumq; liceat de Filii generatione percontari. Exponant, cur & quomodò Spiritus pulset in arteriis, tumque in Spiritus Sancti processionem inquirent. Quod si verò in rebus adeò vulgaribus obmutescere coguntur, quas & vident passim, & in semetipsis contrectant, liceat sanè & nobis multa in iis ignorare, qua non vidit oculus, nec audit auris, non mens unquam ulla penetravit, aut penetrare potest.

CAPUT III.

De Quæstione: An hæc doctrina de SS. Trinitate è solius Veteris Testamenti libris demonstrari possit, ac credentibus etiam in Veteri Testamento cognita, & ad salutem scitu necessaria fuerit?

I.

Post repetitam doctrinam Christianorum sanam atq; orthodoxam de sanctissimo Trinitatis Mysteriò, quæ apud omnes in confessò est, animus nunc erat, ea Scripturæ loca è Veteri Testamento conquirere, quibus Judæorum circa illam infidelitas constringi, ipsique adeò convinci possint. Nam id negotiû nobis potissimùm hæc Disputatione proposuimus. Sed prius, quàm hoc propositum nostrum persequamur, expediendam intelligimus quæstionem illam, quæ magnâ animorum contentione utrinque superioribus annis inter Theologos agitata est: *An Mysterium SS. Trinitatis in V. T. satis clarè propositum, indeque fidelibus Veteris Test. creditum, & creditu quidem ad salutem necessarium fuerit?*

II. Negabat quæstionem *Georg. Calixtus, Theologus Helmsta-*
diensis, Arminianorum opinionem amplexus, cujus tota doctrina
circa

circa illam huc redit: Myſterium iſthoc Patriarchis & Prophetis ſuo quodam modo ex peculiari Dei revelatione cognitum fuiſſe quidem, ſed in libris, quos inſtinctu Spiritus S. ediderunt, non contineri ita, ut à quovis ibi deprehendi aut olim potuerit, aut nunc ſepoſitò N. T. poſſit, adeoq; veſtigia ibi potiùs, quàm aperta animumq; convincentia dicta reperiri. Quæ quidem veſtigia luculenta ſint nonnunquam; ſint tamen veſtigia ſolùm, & inſinuent ſaltem myſterium, haudquam verò illud ita intellectui noſtro ſiſtant, ut ibi contineri peripicuum ſit. Et ex hoc poſteà colligit ulterius, (1.) invalidam eſſe diſputandi rationem, ſi ex V. T. Myſterium Trinitatis confirmetur, quæ evitanda ſit; ludibrio enim adverſariorum exponi veritatem, quando argumentis vix leviter ſuadentibus, nedum convincentibus probetur. (2.) Explicitam fidem Trinitatis, antiqui fœderis temporibus ad ſalutem neceſſariam non fuiſſe; Majorem enim ejus cognitionem neceſſariam eſſe non poſſe, quàm per revelationem divinitus ſit patefacta. De quò alterò tamen diſputare judicabat otioſum planèq; ſupervacaneum, imò infrugiferum, & propemodùm pernicioſum eſſe. Non enim opus eſſe, ut actum agamus, aut ſcrupuloſè, quanta vel quàm diſtincta cognitio hujus Myſterii ſub Veteri Teſt. neceſſaria fuerit, diſcutiamus; cum nobis ſub veteri non viventibus opera ſit danda potius, ne illà, qualis & quanta hodiè ſub Novo neceſſaria eſt, careamus. Videatur illius *Diſputatio de Myſterio SS. Trinitatis; & peculiaris Diſſertatio de quaſtione: Num Myſterium S. Trinitatis è ſolius V. T. libris poſſit demonſtrari?*

III. Affirmabant *Hilſemannus & Calovius, Lipſienſis & Wittebergenſis Theologi*, & ſeſe Calixti doctrinæ opponebant, ille potiſſimum in *Dialyſi problematis Calixtini*, iſte in *Harmonia Calixtinò-Hæreticâ*. Hos enim ſolos, veluti in hoc certamine *æquâx*, ab hac parte laudare nunc liceat, etſi non defuerint alii quoq; inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, non incelebres, *Wilhel. Lyſerus, Dorſchæus, Scharſius* &c. qui de eâdem quaſtione adverſus Calixtum depugnarunt. Sed & B. Haberkornius *utroq; Syntagmate diſſertationum theologicarum* ex inſtituto id egit. Quorum omnium ſententia hæc eſt: Myſterium Trinitatis in Scripturâ V. T. ſatis clarè revelatum eſſe, adeoq; firmiter inde demonſtrari, idque fideles illius temporis &



credidisse, & sub periculo salutis credere debuisse; ipsamque hanc questionem esse maximi momenti.

IV. Cæterum complicata quidem quæstio est, in totidem quæstiones alias resolvenda, quot membris constat, ac fieri adeò potest, ut unam quæstionem ex illo plurium complexu affirmet, qui aliam negat; Sed quia tamen nos alteri affirmantiũ parti per omnia adharemus, non dabitur vitio, si argumenta ad adstruendam sententiam nostram promiscuè proposuerimus. Palmaria quæstio est: *An Mysterium SS. Trinitatis in Veteri Test. creditu ad salutem fuerit necessarium?* quæ concessã sequitur suã sponte, *cognitum & creditum fuisse fidelibus in V.T.* indeq; porro negandum amplius non est, *posse ex solis V.T. libris solidè & clarè demonstrari;* cum aliunde ad cognitionem Mysterii pervenire non potuerint. Quæ consecutio quæstionum manifesta est, etsi inverso modo non procedat. Præcipuam verò quæstionem illam negare nemo potest, qui à Symbolis Oecumenicis & libris Symbolicis nolit secessum facere.

V. Pro *Affirmativa* igitur, hæc enneade argumentorum pugnamus. (1.) *Quicquid necessarium est necessitate tum præcepti, tum medii ad salutem, id omni tempore salvandis necessarium est. Atqui credere SS. Trinitatem necessarium est ad salutem tum necessitate præcepti Matth. XXII, 19. Marc. XVI, 16. 1. Job. III, 23. tum medii Job. V, 23. seq. c. XVII, 3. E. credere SS. Trinitatem omni tempore salvandis necessarium est, consequenter & fuit in V.T. (2.) Sine quocunq; fideles in V.T. salutem consequi potuerunt, sine illò & nos in N.T. eam consequi possumus. Unus enim omnibus salvandi modus Act. IV, 12. c. X, 43. c. XV, 11. Eph. II, 20. c. IV, 6. Ebr. XIII, 8. Et, si ultra ter mille annos tot fideles sine hac fide potuerunt salvari, utiq; illa ex se & natura sui necessaria non erit ad salutem ratione medii. Atqui sine cognitione SS. Trinitatis fideles in V.T. salutem consequi potuerunt. E. & nos in N.T. sine cognitione SS. Trinitatis eam consequi possumus. Conclusio falsa est, ergò aut Major, aut Minor falsa erit. Non Major, quæ probata est; E. Minor, quæ impugnatur. (3.) Qui eòdem modo, & per eadem media salvantur, illi eti. m. explicite credere & confiteri omnes fidei Articulos reventur. Atqui fideles V.T. & nos in N.T. eòdem modo salvamur Act. XV, 11. Et Rom. IV, 23. 24. Apostolus testatur, modum, quo justificatus est Abraham, communem esse omnibus justificandis & salvandis,*

& con-

& consequenter idem etiam objectum fidei justificantis. *E. fideles V. T.*
 & nos in *N. T.* Articulos fidei eosdem explicitè credere & confiteri tene-
 mur. (4.) Quicquid est fundamentum totius fidei salvifica, id o-
 mnibus æquè salvandis est necessarium in *V. & N. T.* At-
 qui cognitio mysterii *SS. Trinitatis* est fundamentum &c. Pendent
 enim ab eâ dogmata (1.) de Filii missione, (2.) de adventu ejus in car-
 nem, (3.) de ejus satisfactione. (Nemo Christum satisfactorem potuit
 credere, quin simul ut verum Deum agnoverit, quia ad satisfactio-
 nem infinita virtus requirebatur.) (4.) de ejus resurrectione sui-
 ipsius & aliorum. (5.) de Spiritus S. missione & divinis eius operibus,
 scil. illuminatione, sanctificatione, consolatione &c. *E. hac fides*
omnibus salvandis æq. in V. T. fuit necessaria, ac est in N. T. adeò ut
 non solum eius negatio, sed etiam ignoratio damnet. (5.) *Qua*
Dei Cognitio Gentilibus exprobratur, tanquam non sufficiens ad salutem,
ea fidelibus Veteris Test. non est tribuenda. Atqui ea Dei Cognitio, quâ
Deum tantum ut unum, non verò ut Trinum agnoverunt, gentilibus tan-
quam non sufficiens ad salutem exprobratur, Vide Eph. II, 2. Ergò. (6.)
Si Scriptura V. T. est perfecta, & perfectè nos instruere debet ad salutem,
utiq. & doctrinam de mysteriò Trinitatis continet, iuxta Job. V, 39. Conf.
Luc. XVI, 29. 2. Tim III, 15. 16. Atqui verum est prius. E. & posterius.
 (7.) *Qua fides fuit tempore Christi, ea fuit quoq. in V. T.* Atqui fides de
 pluralitate divinarum personarum fuit tempore Christi. Johannes enim
 testatus est de Filio & Spiritu Dei, quod Filius fuerit ante ipsum Jo-
 hannem *Job. I.* Fidem popularem de divinitate Messia docent nos
 exempla Nathanaelis *Job. I. cæci Job. IX, 35. seqq.* Marthæ *Job. XI.*
 Centurionis militis, & *Matth XXVI* Judæi ex receptâ & vulgatâ eius
 temporis doctrina lapidatione dignum existimabant flagitium, quod
 Christus vocando se Filium Dei æqualem se Deo fecisset. Quo ipso
 publicam & inveteratam gentis suæ de Trinitate sententiam confessi
 fuerunt. *E. hac quoque fides fuit in V. T.* (8.) *Sine quo Pater non potest*
agnosci, invocari & honorari, id omnibus est ad salutem necessarium omni
tempore. Atqui sine cognitione SS. Trinitatis Pater non potest agnosci,
invocari aut honorari, 1. Job. II, 23. Rom VIII, 9. Job. V, 23. c. XIV, 6. Ergò.
 (9.) *Quicquid actu ipsò ex V. T. libris clarè demonstratur, id etiam po-*
test inde clarè demonstrari. (Ab esse enim ad posse valet consequentia.)

Atqui Mysterium Trinitatis actu ipso ex V. T. libris clarè demonstratur, quod capite sequenti præstabimus. Ergò.

VI. Afferuntur quidem & pro *Negativâ* argumenta; Sed ad ea facilis est responsio, (1.) in genere quidem, si observetur distinctio inter claritatem revelationis *æqualem & sufficientem*. Concedimus, in V. T. non esse *æqualem* claritatem revelationis huius mysterii, cum eâ, quæ est in N. T. est tamen *sufficiens*, ita ut Judæis olim exinde per assistentiam Prophetarum, Levitarum & Interpretum sacrorum illud patuerit; quæ assistentia supplevit, quicquid hodie per libros N. T. claritati Canonis in libris V. T. comprehensi accessit. Jam quando (2.) *argumentantur ex eò, quòd in V. T. hæc verba τὸ θεῶν οὐκ ἔστιν ἑὶς, non legantur: In unâ divinâ Essentiâ sunt tres distinctæ personæ*. Respondemus, eadem nec in N. T. legi, & tamen cognosci pariter ac credi à Christianis N. T. Sufficit, tres tantum, nec plures nec pauciores in Scripturâ inveniri posse, quibus nomen, attributa, opera, & cultus divinus competat. Concludi enim potest: Quot personis tribuuntur nomen, attributa, opera, & cultus divinus, tot sunt personæ in divina Essentia. Atqui tribus &c. E. Quod (3.) excipiunt, *modernos Judæos testimoniis V. T. non posse convinci, ut fidem hanc Trinitatis accipiant, & quidem ita, ut ne hiscere quidem possint, & victas manus nobis porrigant*. Ad hoc respondemus (1.) Hæc ratione neque ex N. T. contra Socinianos mysterium hoc probari potest. (2.) Judæi satis convicti sunt quoad λόγον ἑσω ἢ e. internam orationem, licet adhuc quoad λόγον ἔξω, i. e. externam orationem veritati oblucentur. Simile videt *Act VI, 10. coll. c. VII, 51*. Sic Salvator Antagonistis sæpè os obstruxit, qui tamen victas manus non porrigebant. Culpa igitur non imputanda est insufficientiæ ac imperfectioni testimoniorum Scripturæ S. sed excœcatis Judæorum animis, ac lapideis eorum cordibus. Quòd (4.) eò con fugiunt, quasi tantum Regibus & Patribus in V. T. à Spiritu S. immediate illustratis mysterium hoc fuerit cognitum, reliquis secus, id ipsum in quæstione est, & asseritur tanquam *διδοῦσιν*, cum sit *καὶ ἐπισημαίνον*.

Quæritur autem, si Doctoribus de Mysteriò constitisset, quare id non docuissent & cæteros?

CAPUT.

CAPUT IV.

Auctoritates Scripturæ Veteris Testamenti pro demonstrandô Mysteriô SS. Trinitatis per quatuor classes distributæ.

I.

Nunc igitur ad perquirenda illa Scripturæ Veteris Testam. loca nos accingimus, e quibus non olim modò in Hebræorum Ecclesiâ de Mysteriô sanctissimæ Trinitatis fideles instituebantur, sed & idem hodiernum adversus modernos Judæos perfidos atq; idololatrias satis clarè & dilucidè demonstrari potest. Quæ quidem loca dum non omnia ejusdem generis sunt, in certas classes variè à variis disponuntur, aliis ad duas; aliis ad quinque; aliis ad septem; aliis ad octo; aliis ad novem; aliis ad plures classes illa referentibus; de quibus videantur Chemnitius *Loc. de Deo c. 2.* Gerhardus in *Exegesi Loc. de Deo c. 3.* Calovius *T. 3. Syst. Art. 1. c. 2.* Raymundus in *Pugione fidei P. 3. Dist. 1. c. 11. §. 16.* Nobis tamen jam revocare omnia ad *quatuor classes* placet, quarum *prima* ea loca comprehendet, quæ indeterminatam in Deo pluralitatem, seu plures in Deo esse personas, probant: *Secunda* complectetur loca, quæ duarum personarum disertè meminerunt, ut cum sæpè Jehova loquitur de Jehovâ, item cum Patris & Filii, aut Jehovæ & Spiritûs S. fit mentio: *Tertia* continebit loca, quæ ipsam Trinitatem, seu tres in Deo personas determinatè ostendunt: In *quarta* deniq; recitabuntur figuræ, quæ Trinitatem haud obscure insinuant. Singula loca non modò paucis expendemus, ut nervus probandi id quod intendimus, ostendatur, sed etiam ipsorum Rabbînorum testimoniis, ubi opus erit, illustrabimus, quæ bonâ fide collegimus ab optimæ notæ Autoribus, Raymundô ejusq; plagiarîo Galatinô, Weidnerô, Helvicô, Müllerô, atq; aliis passim suppeditata.

II. CLASSIS PRIMA, quæ est locorum indeterminatam pluralitatem personarum in Deo asserentium hæc sequentia loca consideranda exhibet:

Gen. 1, 1. ברא אלהים Creavit Elobim.

Locum hunc non primus omnium Lombardus ad probandam in divinis pluralitatem adhibuit, uti nonnullis visum est, siquidem Cl. Wagenfeilio in *Confut. Carm. Lipm. p. 129.* è vetustò librò Rabbot observatum sit, etiam ante Origenis & Hieronymi, nedum Lombardi ætatem à plurativo אלהים pro pluralitate personarum à Christianis contra Judæos argueretur fuisse formatum. Neq; etiam sine mysteriò statim in exordio historię Creationis Moses Deum vocat *Elobim* in numero plurali, & nomen hoc plurale cum verbo singulari construit, quod certè insolitum aliàs ac inusitatum est. Si sine mysterio loqueretur, potuisset adhibere singularem אלה, quod tamen non facit. Cum itaque secundum ipsos Rabbinos non est in lege vel unica littera, à quâ non montes magni dependeant. Quidni igitur montes mystici in hac locutione *Bara Elobim* subsultarent? ubi Moses pluralitatem innuere nolens & intelligi prohibens nihilosecius vocem numero singularem proscripsit, exclusit, relegavit, & vocem numero pluralem introduxit, sciens volensque posuit, splendide in frontispicio extare, & instar Eoi Adamantis micare, omniumque in se oculos vertere voluit, quando de vero Deo loquitur. Unum intelligit, at numerum singularem unum denotantem usurpare noluit: Plures non intelligit, at plurale spreto singulari posuit, & de pluribus exposuit, inquit Havemannus in *Theognostia antiqua. c. 1. §. 9.* Nempe docere hanc constructione Moses voluit, per plurale quidem אלהים pluralitatem personarum in Deo, quas tamen per verbum singulare ברא ad unitatem contrahit Essentiæ, ne quis cogitet, indicari multitudinem Deorum. Gentem enim Judaicam in Religione informaturus statim orditur ab hoc mysterio, & primùm utitur vocabulo *bara*, quasi de unica personâ loqueretur, mox subjicit *Elobim*, quod pluralitatem personarum denotat, quasi dicat: *Scitote, filii Israel, quòd in Deitate plures personæ sint, & in hunc Deum, qui est אלהים h. e. plures in personis, credatis.* Sensus locutionis est distributivus. *Creavit Elobim* i. e. *qualibet persona in Elobim, seu qualibet divinarum personarum.* Sicut eod. cap. v. 14 dicitur: *Fiat luminaria, i. e. fiat unumquodque luminarium.* Sic *Prov. XXVIII, 1. Justi confidet, i. e. quilibet justorum confidet, &c.* Hinc Argumentum;

Quic-

Quic. propriè dicitur Elohim, ille est Deus in pluribus personis subsistens, Atqui Creator universi propriè dicitur & est Elohim. Ergò Creator universi est Deus in pluribus personis subsistens.

Ad elidendas Adversariorum *Exceptiones* notari potest. I. **אלהים** Elohim non esse plurale solâ terminatione, singulare verò significatione. *Nam* dispar est ratio nominum Latinorum, Athenæ, tenebræ &c. quæ singularibus planè destituuntur, & solo plurali in usu sunt; cum nomen Elohim habeat suum singularem **אלה** in Scripturâ non rarò usurpatum. II. Non esse hîc Enallagen, vel lingvæ Idiotismum; *Nam* Enallage hîc excluditur per appositum Verbum singulare, quod aliàs eodem numero juxta communissimam Grammaticorum regulam ponendum fuisset. Jam verò in nullâ linguâ vel Orientali vel Occidentali talis constructio nominis pluralis cum Verbo singulari est in usu. III. Nec locum habere hîc Magnatismum, quasi scilicet Deus more Magnatum loqueretur, e. g. *Nos Leopoldus &c. Nos Job. Georgius &c. Nam* (1.) Magnates nomen suum in singulari ponunt, pronomina verò tantum & verba in plurali, e. g. non dicit Imperator: Ego Leopoldi Imperatores volo; sed: Nos Leopoldus Imperator volumus. Hic autem inverso modo dicitur: *Elohim creavit.* (2.) Lingua Hebræa & Scriptura Sacra talem Magnatismum ignorat, quod testantur tot colloquia, mandata, ac rescripta potentissimorum Regum e. g. Davidis, Salomonis, Nabuchodonosaris, Ahasveri &c. qui semper in singulari de se fuere locuti. (3.) Homines in plurali de se loquuntur, ut majores inde æstimentur: Deus autem per opera sua vult æstimari *Exod. XV, 1.* (4.) Cur Deus non in monte Sinai, cum promulgaret Legem, ubi omnia erant sollemnissima, & maximè videbatur esse opus, non usurpavit hunc Magnatismum? (5.) Cur magnificum nomen tetragrammaton **יהוה** est tantum singulare? (6.) Sic peccarent sacri Scriptores, qui Deum in sing. Eloah appellant e. g. *Job. IV, 9. c. XII, 4. Ps. XVIII, 32. CXIV, 17. Hab. I, n. c. III, 3.* cum Deus semper æquè sit honorandus. (7.) Honor iste ac majestas per Verbum singulare statim destrueretur. (8.) Deus in quinque tantum locis de se pluraliter loquitur, nim. *Gen. I. 26. c. III, 22. c. XI, 7. Cant. I, 1. Ies VI, 8.* IV. Per Elohim non intelligi posse Angelos, uti vult AbenEfra, quasi Deus in Creatione per Angelos egisset.

fei; Nam creare non est opus creaturæ *Jes. XL, 12. seq.* sed solius Dei
conf. Gen. II, 4. V. Nec solam significari pluralitatem perfectionum
 in Deo, virtutum, potentiarum, ac proprietatum, quod dicit R. Bechai;
Nam (1.) Non sufficit dicere, probandum est. (2.) Sic numerus singu-
 laris è linguâ sanctâ exterminandus esset, cum vix quicquam reperie-
 tur in universâ naturâ, quod non plures in se habeat virtutes.

Rabbinorum Testimonia, quæ huc faciunt, hæc sunt:
 R. Jonathan *Elohim* explicat per ipsum nomen *Jehova*. E. non
 alius præter Deum per *Elohim* intelligendus. R. Bechai: *Cabbali-*
sticè, inquit, *אלהים* duas voces valet *אל* Illi (sunt) Deus: *Jod*
autem residuum exponitur Eccl. XII, 1. Memento *בוראין*, quod plenum
 est *והמשכיל יבין* & qui intellectu pollet, intelliget. R. AbenEsra in
 h. l. Postquam invenimus singulare *אלה*, agnovimus *אלהים* esse plurale.
 Quod autem addit, pluralem hîc esse honoris causâ, id refutat R. A-
 barbanel: Quia, inquit, aliàs dicendum foret etiam in illò *Exod. XX, 3.*
Deos alienos honoris causâ Elohim vocari. Breschithketanna: Dixit R. Ab-
 Sarnegia; Et lux cum ipso habitat, illa est Rex Messias, seu Regis Messia.
 Porro ibidem legitur: Dixit R. Huna: Nisi hic sermo scriptus fuisset,
 non licuisset dicere: Et Creavit *Elohim*. Agnoscit igitur hic Rabbi plu-
 ralitatem aliquam his verbis adstrui in divinis. Ne verbum quidem
 addit vel de linguæ idiotismò, vel de catachresi aliquâ, sed emphati-
 cè dicit: Non liceret ita loqui: Creavit *Elohim*; dicendum enim esset;
Creavit Eloab, nisi præeuntem haberemus *Scripturam*. E. pluralitatis
 mysterium agnoscit. R. Simeon Ben Jochai in Zoar ad Lev. sect. 6.
Veni, ait, & vide mysterium *Elohim*; sunt tres gradus, & quilibet gradus
 per se solus (i. e. distinctus) veruntamen sunt unus, & in unum conjun-
 guntur, nec unus ab altero dividitur. R. Lipmann in Carm. Mem. præ-
 ter intentionem vera loquitur: Verbum, inquit, *Elohim* multitudinem
 significat: at vox *ברא* creavit appositè statim unitatem arguit. Rectè,
 nomen enim *Elohim* pluralitatem personarum, verbum autem *bara*
 unitatem essentia innuit.

*Gen. I, 26. Et dixit אלהים Elohim: Faciamus
 hominem ad imaginem & similitudinem
 nostram.*

Textum

Textum hunc Josephus Ben Gorion inter illa numerat loca, quæ Alexandrini Interpretes sunt aliter interpretati, ne errandi ansam darent imperitis; adeò fudes est in Judæorum oculis. Horret prope modum animus, referre Satyram, quam ut ægrè faceret Christianis, maledicus & maledictus Autor libri Nizzachon Veteris à Wagenfeiliò è MSCto Argentoratensi recensiti, ex hòc locò confecit: *Verè, inquit, sese res ita habet, quòd Pater cum Filiò suò hic colloquatur. Dixit Pater Filio: Mi fili, juva me, atq; faciamus ego & tu hominem. At immerigerum se præbebat Filius, nec volebat Patri opem ferre. Ergò solus Pater hominem formavit sine Filii auxiliò. Scriptum enim v. 27. Et creavit Deus hominem: Non verò scriptum: Et crearunt. Eam ob rem irascebatur Filio, dicebatq;: Quando aderit, ut meò auxiliò egeas, similiter te non juvabo, prout mihi non fuisti adjumento. Cùm igitur fatalis Filio dies illuxisset, & lapidationis ac crucifixionis supplicium subiret, tum clamabat voce querulâ: Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti? poscebatq; sibi opem Patris. Verùm Pater: Cùm te ego precarer, inquebat, ut me juvares ad formandum hominem, mihi inobediens eras. nec opem mihi tulisti, sed servavit me dextera mea, & solus illum sine te condidi: Proinde nunc tu quoque te ipsum tuere, nam ego non tibi fero suppetias. Cæterùm manifestum est, consultare hîc quasi Deum de creatione hominis: at consultatio non nisi inter plures instituitur. Pluralitas verò indicatur primùm per nomen plurale *Elohim*, deinde per Verbum plurale *Faciamus*, deniq; per pronomen plurale *Nostram*. Et sicut illæ voces personarum pluralitatem; ita hæ: *Ad imaginem & similitudinem*; essentiæ notant unitatem, cùm non sit dictum: *Ad imagines & similitudines nostras*. Sensus hic est: *Et dixit Elohim, i. e. per διάπειον, unusquisq; ex iis, qui sunt Elohim, seu, dixerunt divina persone ad se invicem tanquam in Conciliò consultantes*. Hinc argumenta:*

1. *Quic. sermo non tantùm tribuitur pluribus nomine plurali designatis (Elohim) sed etiam ita informatus est, ut loquentes de se verbum plurale (faciamus) & pronomen plurale possessivum (nostrum) usurpent, in eò loquuntur plures persone. Atqui hic sermo: Faciamus &c. Ergò.*
2. *Cùm Deus de se in plurali loquitur, intelligit pluralitatem aut Essentiæ, aut rerum alienarum, aut personarum.*

D

Atqui

At qui non Effentia (non enim plures sunt Dii, sed unus est Deus) non rerum alienarum (nam quicquid Judæi producant, facile potest refutari.)

Ergo Personarum.

Ad refellendas Exceptiones *observandum*, I. Verbum הוּשַׁבְתִּי hoc non esse 3. sing. Præt. Niphal, quasi dictum: *Factus est homo*; quod probare volunt ex *Neb. V, 18.* ubi victus in singulos dies dicitur הוּשַׁבְתִּי paratus; Sed est 1. pers. Fut. Kal significans *Faciamus*; Nam (1.) hoc suadet cohærentia textus, ut enim præcedit: *Et dixit Deus, fiat &c.* ita porrò sequitur: *Et dixit Deus: Faciamus &c.* (2.) Effugiò hòc nondum tollitur pluralitas Pronominis *Nostram*. (3.) Ipse AbenEsra eos ridet, & putidum hoc vocat commentum, provenièns ab iis, qui destituantur omni iudicio. II. Non loqui Deum more Magnatum, ut R. Levi, & R. Isaac Ben Abraham volunt; Nam (1.) iste loquendi modus tunc planè erat insolens, paucis abhinc seculis à Politicis inventus ac introductus. (2.) Ipse AbenEsra negat, haberi hujus explicationis fundamentum, & loca *Gen. XXIX, 27. Num. XXII. 6. Dan. II, 36.* quæ illi pro se citant, falsos atq; mendaces vocat testes. III. Non posse probari ex Scripturâ, unum instituere consilium cum se ipsò; Nam omnia loca e. g. *1. Reg. XI, 9. c. XXII, 3. 2. Par. X, 9. &c.* quæ objici solent, pluralitatem consultantium ostendunt, Vide B. Calov. *in Syst. T. 3. Art. 1. Qu. 3. p. 50.* IV. Pluralitatem à Deò extraneam & extraessentialem non posse intelligi, quasi sc. alloqueretur Deus *familiam celestem, seu domum iudicii, i.e. Angelos*, quod R. Aben-Esra, R. Levi Ben Gerson, R. Isaac Abarbanel, R. Jehuda Levita volunt: Vel quasi hæc dixisset Deus ad *causas secundas & quatuor Elementa*, hòc sensu: Ecce superest, ut animal creem, quod nomine cum immortalibus conveniat, verùm si id immediatè à me produceretur, totum divinum esset: proindè vos corpus date, ego, quæ restat, animam & spiritum dabo: secundùm vestram imaginem & similitudinem esto pulvis, & ego efficiam, ut secundùm meam imaginem & similitudinem habeat spiritum; quæ argutiæ sunt R. Maimonidis, R. Iekosua de Sabrin, R. Mosis Gerundensis, R. Josephi Kimchii, & Autoris Veteris Nizzachon è *MScro Argentoratensi editi paulò ante citati*: Vel quasi allocutus sit quatuor *Mundos Cabbalistarum*, quos fingunt, Emanationis, Creationis,

tionis, Formationis & Fabricæ, quod R. Moses Alschech putat: *Vel ad cælum & terram*, ut largirentur vinum, fruges, rorem & aquas, penuriam quoq; & abundantiam in beneficium terrigenarum, ut R. *Lipmann*: *Vel ad animas* in principio simul creatas, earumq; potentias & facultates, ut alii putant. *Nam* (1.) Ipsa hæc sententiarum varietas Judæorum causam suspectam reddit, adeò ut R. Menasse Ben Israel in Conciliatore ipse dubitet, quam sequi debeat, & tandem cuius liberum relinquat, eligere sententiam, quam velit. (2.) Quod sermo Dei hîc non sit ad creaturas, ita probamus: Quicumq; non habent virtutem ac potentiam creatricem, & ad cuius imaginem & similitudinem homo non est factus, cum illis Deus hîc non loquitur. Atqui neq; Angeli, neq; ullæ ex recensitis creaturis habent virtutem ac potentiam creatricem, nec homo ad illorum imaginem fuit conditus. Ergò Deus ad illos hic non loquitur.

Rabbinorum testimonia pro nostrâ sententiâ hæc possunt adhiberi: Targum Hieros. ita reddit v. 27. 28. *Et creavit Verbum Jehova hominem ad imaginem suam, ad imaginem de facie Jehova creavit eum.* (En hoc Verbum creat, E. est Jehova, Creator, verus Deus. Creat hominem per se subsistentem, E. est subsistens divinum. Creat ad imaginem suam, quæ est de facie Jehovæ desumpta, E. hoc verbum creans est imago Jehovæ.) Bereschit Rabba ad h. l. *Dixit R. Samuel Nachmanides nomine Jochananis: In horâ, quâ Deus dicebat Mosi: Faciamus hominem, dixisse Mosen coram illò: Dominator mundi, cur tribuis hæreticis occasionem errandi? Ac Deum illi respondisse: Scribe, & qui vult errare, erret.* In librò *Jalkut* legitur: *Dixit R. Iochanan: Inquit Deus: Faciamus hominem, ubi reperitur vocabulum אָנְשֵׁי nos faciamus, quò pluralitas personarum denotatur.* Ei R. Iochanan quarenti, quem Deus hominem creaturus in consilium adhibuerit, cum plurium personarum mentio fiat, R. Ame ipsi respondit: *Deus cum corde suo consultavit, ut significet, non cum ullâ creaturâ, sed secum tantummodò locutum.* Kimchi ad Es. XLIV, 24. *Nullus Angelorum, multò minus hominum direxit Spiritum ejus, aut suggestit ei consilium, cum crearet mundum.*

Gen. III, 22. Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis.

Ironia hæc Creatoris non illusoria, sed objurgatoria invictum ac infallibile pro pluralitate personarum testimonium præbet. Nam Deus, si esset unica persona, sic locutus fuisset: *Ecce Adam factus est* אֲנִי Kaani, sicut ego, quæ locutio unam personam notasset. Sed ita placuit loqui: *Factus est Adam* כַּמֶּנִּי כַּאֲנִי sicut unus ex nobis, quod non potest non de pluribus personis accipi. Nam distributio illa personarum, *ex nobis*, pluralem hîc significationem exigit, & plurium personarum in Deitate unâ distinctionem arguit. Hinc argumentamur:

1. *Quic. de se dicit, aliquem esse factum sicut unum ex se (pluraliter) ille se non unam, sed plures personas dicit.*

Atqui Elobim dicit de se (pluraliter) Adam factus est quasi unus ex nobis. E. Elobim se non unam sed plures personas dicit.

2. *Qui mentionem facit unius ex pluribus ordinis sui, ille plures verè esse innuit ac designat, & quidem si unus ille persona sit, plures personas ordinis sui.*

Atqui Deus de se solò loquens unius ex pluribus ordinis sui mentionem facit, & quidem unius persona.

E. Deus de sese loquens plures verè innuit esse personas ordinis sui, adeoq; plures divinas personas designat.

3. *Ubi est ~~α-ε~~ ~~α-ε~~ seu distributio inter alium & alium, ibi verè est pluralitas.*

Atqui in Jehova Elobim est talis ~~α-ε~~ ~~α-ε~~, ut ipse Jehova partitivâ locutione, unus ex nobis, innuit.

Ergo in Jehovâ Elobim verè est pluralitas.

Ad Adversariorum *Exceptiones* duo observa, I. Deum non loqui de suis virtutibus; Nam hoc modò ipse dicens talis etiam esset, quia planè sibi similes esse constat, cum nullius differentiam Moses innuat. II. Non includi Angelos; Nam (1.) Adam non Angelis, sed Deo similis fieri voluit v. 6. E. Mimesis illa solas personas divinas intellexit. (2.) Diabolus ipse non ad angelorum, sed ipsius Dei similitudinem adspirare instigavit *Gen. III. 5.* (3.) Solus Deus, non Angeli, Adamo usum arboris

arboris scientiæ boni & mali prohibuit *Gen. II, 16.* (4.) Deus Angelorum consilio nunquam usus fuit neque in opere Creationis, neque Conservationis *Syr. I, 3.* (5.) Incongruum & à Dei Majestate alienum est, Angelis, qui ejus sunt ministri & servi, quasi sodalibus suis, & æqualis conditionis, ejusdemque dignitatis & autoritatis talia dixisse. (6.) Non commodus sic esset verborum sensus. Quomodo enim homo factus sicut unus ex nobis? An dictum vult: Sicut ego? An: Sicut aliquis vestrum? Simul enim jungi & confundi nequent. Si prius, quorsum, *sicut unus ex nobis?* si posterius, numquid potius dixisset Deus: *Sicut unus vestrum jam factus est homo?* Vid. Hornb. *de Conv. Jud. l. 5. c. 2. p. 388.*

Loco Rabbini testimonii sufficiat Targum Hierosolymitanum: *Et dixit verbum Jehovæ Dei, Ecce Adam, quem creavi, est unigenitus in mundo, sicut ego sum unigenitus in cælis excelsis.* Hic Paraphrastes agnoscit duas distinctas personas, Patrem & Filium, Patrem vocat Jehovam Deum, Filium Verbum Jehovæ in cælis excelsis unigenitum. Et huic Verbo tribuit sermonem. Hoc Verbum loquitur, E. est subsistens. Verbum hoc dicit, se hominem creasse, qui persona est. E. & hoc verbum creans persona erit. Hoc Verbum dicit, se esse unigenitum in cælis. Atqui in cælis nemo gignit, nisi Jehova Pater. Hic gignens est persona perfecta. E. etiam hic unigenitus, vel hoc Verbum unigenitum. Quæ sanè de Verbò vulgari & externò nullo modò possunt intelligi. Vid. Havem. *Theogn. antiqu. c. 6. §. 2.*

Gen. XI, 7. Venite, descendamus, & confundamus linguam eorum.

Quamquam non desunt, qui hinc ipsam Trinitatem determinatè probari existiment, quod v. 8. & 9. opus confusionis ter Jehovæ tribuatur, ejusdemque nominis trina repetitio fiat. Malumus nos tamen inter ea potius referre loca, quæ pluralitatem tantum probant indeterminate. Plures nimirum sunt, qui se hinc excitant ad descendendum & confundendum linguam hominum. Hinc argumenta:

1. *In quâ oratione est Imperativus hortantis, illa necessario infert plures personas.*

Atqui in hac oratione est Imper. חבבא Habba, quod Verbum & ratione modi,

modi, & ratione peculiaris potestatis plures personas infert; Semper enim pluribus junctum invenitur.

E. necessario hac oratio plures infert personas.

2. Ubicunque plures introducuntur, qui se mutuò excitant, tanquam plures descendentes & plures confundentes linguas, ibi plures sunt persone.

Atqui h. l. Jehova Elohim sic introducitur. Ergò.

3. Quemcunq; in singulari dicit textus Biblicus per Antistropben historicam descendisse, idemq; ipsi in Conclusionem tribuit, nec non aliis in locis adscribit itidem in singulari, ille ipse est, & quidem solus, quem Scriptura enarrans ordine historiam, adeoq; loquens speciatim de actionibus distinctis, dicit descendisse & confundisse linguas hominum in plurali.

Atqui Jehovam in singulari dicit textus Biblicus per Antistropben historicam descendisse v. 5, idemq; ipsi in conclusionem tribuit v. 8. nec non Deut. 32, v. 8. huic excelsò adscribit itidem in singulari numerò.

E. Jehova & quidem solus est, quem Scriptura enarrans ordine historiam, adeoq; loquens speciatim de actionibus distinctis dicit descendisse & confundisse in numerò plurali. Ita Jac. Martini de 3. Elohim P. I. c. 10. p. m. 125.

Contra Adversarios observandum, Non posse hunc sermonem spectare ad Angelos; Nam (1.) in totà narratione Moses ne unicò verbò Angeli facit mentionem. (2.) Sic loqueretur Deus, ac si unus esset ex Angelis. (3.) Nusquam Deus sic ad Angelos dicit: Faciamus hoc vel illud; sed præcipit illis, ut faciant. (4.) Transformare expectam linguam pro suò arbitriò, & unò momentò linguam vertere in multas, abolitaq; priore, quasi nunquam ea cognita fuerit, alias statim in animum infundere, est opus solius Creatoris immediatè agentis in animos hominum. (5.) Ipse Moses addit, non de Angelis esse intelligenda, sed de Dominò Jehovâ, vid. v. 9.

In disputatione cum Judæis καὶ ἀνθρώπων locum invenire poterit, quod ait R. Salomo Jarchi: In הבה נרדה Veni, descendamus, allusio potest esse ad v. 4. ubi dictum fuit הבה נבנה Veni, aedificemus, ubi allocutio unius ad alterum. Et R. Aben Esra, qui, postquam rejecisset illos, qui ונבלה passivè interpretantur, inquit: Et confundemus, steteri, & faciemus, v. 4. Quemadmodum igitur ibi plures ædificantes ejusdem

eiusdem naturæ: ita quoque h. l. plures descendentes, & quidem eiusdem dignitatis ac Majestatis intelligendi.

Gen. XX, 13. Oberrare me fecerunt Elohim.

Verba sunt Abrahami ad mandatum Dei provocantis, quod ipsum peregrinari iusserat. Ad quæ Lutherus: *Statuimus, idem Mosè consilium esse, quod Gen. I. ubi Deus dicit: Faciamus hominem &c. ut scilicet disertè ostendat, in simplicissima divinitate esse pluralitatem personarum.* Plures quippè personas expressè in Deo profitetur Patriarcha, vocat Deum nomine plurali *Elohim*, quod habet suum singularem; Addit quoque Verbum plurale *עָרַרְנִי* quod plures agentes arguit. Ineptè enim diceres: *Nerones Imperatores Senecam interfecerunt*, inquit B. Schertz. in *Coll. AntiSoc. Disp. 8. & 14. p. m. 74. & 132.* Hinc argumentum:

Qui de Deo sic enunciat aliquid, ut & Subjectum & Prædicatum enunciationis plurale sit, ille de Deo tanquam de pluribus personis loquitur.

Atqui Abraham in hac oratione de Deo sic enunciat admirabilem datum, ut & Subjectum & Prædicatum enunciationis sit plurale.

E. Abraham in hac oratione de Deo tanquam de pluribus personis loquitur.

Contra Adversarios observa, I. Non esse hinc pluralem positum pro singulari; Nam regula universalis est: *Quando nomen plurale cum verbo plurali construitur, expressè intelligitur pluralitas.* II. Non esse sermonem Abrahamo vel de Angelis, vel idolis Abimelechi, per quæ coactus sit ex Ur egredi; Nam argumentamur sic: Quic. (1.) vocavit Abrahamum, eumque de domo Patris sui peregrinari iussit, (2.) cui Abraham extruxit altare, (3.) qui expressè dicitur Jehova Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, ille non alius est, quam verus Deus. Atqui hinc *Elohim &c.* Conf. c. XXVIII, 13. ubi *Elohim* dicit se esse Jehovam Abrahami, Isaaci & Jacobi. Ergò.

Gen. XXXV, 7. Quia ibi apparuerunt ipsi Elohim.

Hic locus præcedenti similis est, siquidem iterum fit mentio plu-

DE MYSTERIO

32
plurium personarum divinarum. Deus enim, qui apparuit Jacobo
v. 1. hic vocatur *Elohim* apparentes, atq; sic rursus & Nomen & Ver-
bum plurale conjunguntur. Hinc idem planè argumentum:

*Ubicunque verus Deus apparuisse dicitur in plurali, ibi pluribus subsi-
stere personis innuitur.*

Atqui hinc in visione Jacobo facta Deus verus apparuisse dicitur in plurali.

E. hinc in visione Jacobo facta Deum pluribus subsistere personis innuitur.

Contra Adversarios, qui per *Elohim* h. l. Angelos intelligunt,
sic concludimus: Qui fuit autor fugiendi Jacobo, & cui Jacobus al-
tare exstruxit, is Jacobo apparuit. Atqui non Angeli, sed verus Deus
fuit autor fugiendi Jacobo *Gen. XXVIII. 15.* eique Jacobus exstruxit al-
tare. E. non Angeli, sed verus Deus Jacobo apparuit.

*Exod. XX, 2. אני יהוה אלהיך Ego Dominus Elo-
him tui.*

Majestatis divinæ plenissima vox est, quâ Deus Legislator De-
calogum exorsus de se unô loquitur, & Pronomini primæ personæ
אני Ego duo nomina per appositionem diversis numeris adjungit.
Unde argumentum:

*Quic. orationem exorsus dicit Ego, ac statim sibi nomen singulare, &
nomen plurale tribuit, ille simul est & unus, & plures.*

*Atqui Deus in promulgatione Legis orationem exorsus dicit Ego, ac
statim sibi nomen singulare יהוה & nomen plurale אלהים tribuit.*

E. Deus simul est unus & plures.

*Deut. V, 26. קול אלהים חים Vox Elohim vi-
ventium.*

En! Epitheton divino nomini in plurali junctum! quod argu-
mento est, ipsum nomen divinum in plurali positum pluralitatem in-
ferre. Argumentum in formâ tale est:

*Ubicunq; Nomini personali plurali jungitur Adjectivum plurale, ibi
plures indicantur persona.*

*Atqui in hac locutione nomini personali plurali אלהים jungitur Adje-
ctivum plurale חים. Ergò.*

Ios.

*Ios. XXIV, 19. Non poteris servire Domino,
quia אלהים קדשים יהוה Elohim sancti ipse.*

Ita Josua ad populum Israeliticum rationem redditurus, cur dixerit, quod populus servire non possit Deo, quia ipse est Elohim Kedoschim, inquit. Pari modo *Ier. X, 10.* dicitur: Dominus Deus veritatis יהוה אלהים יהוה idem est Elohim vivi. Quo sanè ipso personarum in Deo pluralitas aperte indicatur. Sicut enim singularis יהוה Ipse unitatis character est, & hinc reverà Essentiæ unitatem notat; sic plurale nomen cum epithetò ejusdem numeri Elohim Kedoschim nota est multitudinis, & pluralitatem personarum significat. Argumentum est ejusdem cum præcedente tenoris, nisi quod essentiæ unitas hinc simul innuatur:

Ubiunque de unico enunciatur nomen plurale cum epitheto plurali, ibi innuitur, unicum illum subsistere in tribus personis

Atqui in his verbis de unico Deo (יהוה Ipse) enunciatur nomen plurale cum epitheto plurali אלהים קדשים.

E. in his verbis Josuæ innuitur, unicum illum Deum subsistere in pluribus personis.

Talmudistæ, ut refert Otto in Gali Razia l. 3. c. 1. dicunt: R. Simlai ab aliquot Hereticis interrogatus est, quomodo illud intelligeret; Dii sancti ipse? Ubi textus primò dicit sanctos Dicos, quasi plures sint personæ, deinde verò voculam יהוה Ille annectit tanquam de uno Deo loqueretur, ut videlicet ostenderet tres personas in unitate divinæ Essentiæ. Respondit ille: Vox אלהים pluralitatem rerum & personarum denotat; cum verò hic tantum יהוה utatur i. e. ille, de unâ duntaxat loquitur personâ, ostenditque, unicum tantum Deum personam unicam esse. Sed dubium Rabbi non solvit, dum ad singularem pronominis יהוה unitatem involventis provocat, quam concedimus, & de unitate essentiæ divinæ interpretamur. Quærimus autem, cur hic unicus non in singulari, אלה קדוש Eloh sanctus, sed אלהים קדשים Elohim sancti dicatur? Hinc aqua hæret Judæo pluralitatem personarum inficianti,

E

2. Sam.

2. Sam. VII, 23, *Iverunt Elohim ad redimendum ל' sibi populum.*

Hoc David in laudem Dei & populi ejus dicit, pluraliter primum subjectum pariter & pradicatum efferens: הלכו אלהים *iverunt Elohim*, ad indicandam personarum pluralitatem, mox tamen sermonem ad singularem inflectens Pronomine ל' reciprocè accepto *sibi*, ad innuendam essentiae unitatem. Hinc argumentum:

Quic. de Deo enunciat actum in plurali addito Pronomine reciproco singulari, ille agnoscit, Deum plures esse personas, sed ita, ut nihilominus sit unus.

Atqui David h. l. de Deo enunciat actum in plurali (הלכו iverunt) addito Pronomine reciproco singulari (ל' ad redimendum sibi populum.)

E. David agnoscit, Deum esse plures personas, sed ita, ut nihilominus sit Deus (essentia) unus.

Job. XXXV, 10. Deus factores mei dans cantica.

Elihu, cujus hæc sunt ad Jobum verba, in hac locutione nomini divino, quod loco subjecti ponitur in singulari, אלהים *Deus*, & Participio itidem in singulari posito, quod locum pradicati occupat, נתן *dans*, interferit epitheton, ad subjectum referendum, in numero plurali עושים *factores mei*, manifesto argumento, unicum illum Deum qui dat gaudia, non esse unam personam, sed esse plures illas personas, quæ nos formarunt. Hinc Argumentum:

Quic. est אלהים עושים Deus factores, ille est unus quidem Deus, sed non una persona.

Atqui Deus dans cantica est אלהים עושים Deus factores. Ergò. Conf. huc Ps. CXLIX, 2. Ies. XLII, 5. c. XLIV, 2. c. LIV, 5.

Pf. LVIII, 12. Deus est שופטים judicantes in terrâ.

Ex hoc locò sic inferimus:

Ubi sunt Schophetim, ibi sunt plures persona judicantes (Vide Deut. I, 16. Jud. II, 16.)

Atqui in Deitate sunt Schophetim (Elohim Schophetim, judicantes in terrâ, qui tamen sunt unus ille Deus, & v. 7. Jehova vocantur.)

E. in Deitate sunt plures persona judicantes.

Ies. VI,

Jes. VI, 8. Quem mittam? Quis ibit nobis?

Divinam hanc vocem, quam Propheta adducit, alii totius SS. Trinitatis, alii tertiæ tantum personæ, Spiritus S. esse statuunt. Utrum verò eligas, habebis luculentum argumentum pro pluralitate personarum. Si illud; in singulari: *Mittam*, notatur essentiæ divinæ unitas, in plurali *nobis* personarum pluralitas. Sin hoc; quærit primùm Spiritus S. qui per os Prophetarum loquebatur 2. *Sam. XXIII, 2.* quasi in conciliò SS. Trinitatis de personâ mittendâ consultaturus, vel certè vocat jam Jesaiam hâc quæstione officiò quasi suo sic defunctus: *אשרלח מי אתנו quem mittam?* moxq; addit alteram quæstionem: *ומי ילך לנו & quis ibit nobis?* indicans, omnibus Deitatis personis operam præstandam esse. Hinc argumentum:

Quis sibi aliquid fieri cupit, & ait: nobis hoc faciendum, ille ostendit, plures secum esse personas.

At qui Spiritus S. sibi aliquid fieri cupit, & ait: מי ילך לנו quis nobis ibit?

E. Spiritus S. ostendit, plures secum esse personas.

Contra Adversariorum figmenta *observandum*, I. Non loqui hîc Deum pluraliter ob suam majestatem; *Nam* mira esset confusio, Deum ab initiò, ubi majestas maximè ostentanda erat, loqui singulariter, & mox pluraliter. II. Non consultare Deum cum familiâ superiore h. e. cum Angelis; *Nam* (1.) nusquam legitur in Scripturâ, Angelos misisse Prophetas, est enim id opus solius Dei, (2.) Deus Angelorum consiliò non opus habet *Jes. XL. 13.* sed potius ipsis tanquam ministris imperat. (3.) Indignum itaque Deo esset, deliberare cum creaturis suis, indignissimum, se illis immiscere: *Quis ibit nobis?* (4.) Qui dixit: *Quem mittam?* Is quoque dixit: *Quis ibit nobis?* (5.) Propheta ad solum Deum dicit: *Mitte me;* Non ad Angelos. (6.) Legitur: *Et dixit* (scil. Deus;) *non:* *Et dixerunt* (7.) *v. u.* iterum Jesaias solum Deum implorat: *Quousq; Domine?*

Testimonii Rabbini vices gerat hîc Masora, quâ notatur, *vo-*
cem אדני esse קדש sacram, id est, Deo non minus propriam, ac si esset
dictio יהוה, imò e numero illarum, qua in Scripturis non nisi 134. occur-
runt. De hâc itaque voce soli Deo propriâ dictum videmus plurale



37, E. de unō verō Deō dicitur aliqua pluralitas in talibus prædicationibus, quæ personas concernunt propriè.

Satis fœcunda classis hæc locorum fuit, è quibus pluralitas personarum in Deō indeterminatè asseritur. Et tamen magna seges adhuc restat; Sed quæ produximus, sufficiunt instituto, & veremur, ne pridem numero excefferimus. Reliquorum plerorumq; par est ratio, atq; idem inde concludendi modus, quem in locis hæctenus discussis observavimus. Conferantur *Gen. XVII, 1. Deut. IV, 7. Cant. I, 11. Ies. XLI, 21. c. XLII, 5. c. XLIV, 2. c. LIV, 5. Ier. XXIII, 36. Dan. IV, 14. c. VII, 25. 27. Hos. XII, 4. Mich. V, 5. &c.*

III. Sequitur CLASSIS SECUNDA, quæ est illorum Scripturæ V. T. locorum, in quibus diserta duarum personarum, Patris & Filii, vel Patris & Spiritus S. vel Filii & Spiritus S. fit mentio. Selegimus tamen & hîc saltem potiora.

Gen. XIX, 24. Jehova pluviam demisit à Jehovâ.

Desumptus est hic locus ex historiâ Sodomitici interitus, quem Deus interminatus fuerat, & actu intulisse hîc describitur, pluviam, quam demisit, sulfureâ atq; igneâ. Manifestè verò *duæ* hæc personæ memorantur, quarum utraq; *Jehova* dicitur. Alia enim persona est, quæ pluviam demisit, alia est persona, à quâ demisit; & illa tamen non minus *Jehova* est, quàm ista. Quæ adeò sunt plana, ut aliter sentientibus anathema dictum sit in Synodò Syrmienti *Can. XVI. Si quis, pluit Dominus à Dominò, non de Filio ac Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluisse, anathema sit, pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* Hinc argumentum:

Ubi aliquis ab alio quid demittere dicitur, quorum tamen uterq; dicitur

Jehova, ibi duæ sunt distinctæ personæ, quæ tamen essentiâ sunt unum.

At qui b. l. aliquis dicitur ab alio pluviam demittere.

E. b. l. duæ sunt distinctæ personæ, quæ tamen essentiâ sunt unum.

Contra Adversariorum corruptiones *observa*, I. Non obtinere hîc Hebraismum, quo significetur, Deum immediatè è cœlis, non incurrentibus causis naturalibus, vi & potentiâ propriâ incendium, hoc excitasse; Nam (1.) Cœlum nunquam vocatur *Jehova*, (2.) Esset

τὸ ὄνομα, cum cœlum suô nomine & hic occurrat. II. Non esse
 linguæ elegantiam in hâc repetitione quærendam, cuiusmodi exempla
 obijciuntur *Gen. IV, 23. c. XLIX, 2. 1. Reg. I, 33. c. VIII, 1. c. XII, 21.*
Esth. VIII, 8. Nam Hebræa lingua nullam vocem, quæ proximè
 præcessit, repetit, nisi aliarum simul personarum mentio fiat. Sic in
 dictis locis prioris personæ significantior modò repetitio fit per insti-
 tutam fermocinationem, e. g. *Gen. IV.* inter Lamech & Lamech po-
 nuntur uxores, *1. Reg. VIII,* inter Salomon & Salomon ponuntur Seni-
 cres, Capita, Duces, Patres &c. Ne igitur relativum de aliô fortè
 suppositò accipiatur, locò illius antecedens nomen repetitur. At hic
 inter Jehovam & Jehovam nulla persona interferitur. E. talis recipro-
 catio locum habere non potest. III. Non dici hoc per Auxesin, quod
 pluvia hæc copiosissima & miraculosa fuerit; Nam (1.) Nulla ratio &
 exemplum talis locutionis potest afferri. (2.) Nomen *Elobim* in Scrip-
 turâ habet exaggerandi vim, quandò cum aliô nomine jungitur, e. g.
Gen. XXXV, 5. Ps. XXXVI, 7. & LXXX, 11. non verò nomen Jeho-
 va. IV. Formulam יהוה אלהים à *Jehova* non sonare idem quod *אני*
 à seipso; Nam (1.) est contra indolem linguæ sanctæ; monstretur ex-
 emplum hujus locutionis. (2.) Iterum esset *ταυτολογία*, cum Deus om-
 nia à semetipso agat. (3.) Si id voluisset Moses, cur non expressè
 dixisset, *demisit à seipso*, nimis enim hæc locutio foret obscura. V. per
 Jehovam primò locò nominatum, non intelligendum esse Angelum
 creatum; Nam nomen *Jehova* ἀκωνάριστον est, neq̄ ulli creaturæ
 tribuitur. VI. Non derogare hoc honori Filii Dei, quod à Patre plu-
 viam demittat; Nam (1.) certus ordo est inter personas SS. Trinita-
 tis, nulli personæ quicquam honoris derogans. (2.) Opus hoc non
 est præceptum ut Angelis, sed commissum tanquam coæquali.

Ad Rabbinorum testimonia pertinet Targumistæ paraphrasis:
Verbum Jehovæ erat demittens super populum Sodoma & Gomorra pluvias
benignas, si fortè agerent pœnitentiam ab operibus suis malis. Et cum
viderent illi pluvias benignas, dixerunt: Haud dubiè nostra mala opera
nondum revelata sunt coram Jehovâ. Reversum est igitur Verbum
Jehovæ, & demisit super illos sulphur & ignem à facie Jehovæ de
cœlis.

Exod. XXIII, 20. 21. Ecce ego mitto Angelum meum, qui precedat te, & custodiat in via, & introducat in locum. Observa eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveritis, & est nomen meum in illo.

Hæc verba Dei esse, extra dubium ponitur. Hic mittere se dicit Angelum suum, quem alium esse à mittente, ipsa ratio dicitur. Describitur verò hic Angelus, quem Deus mittit, ipse etiam tanquam verus Deus. Nam competit ei *divinum nomen*, & ita quidem competit, ut *inexistere* illi dicatur, quod non de nudâ appellatione, sed de ipsâ re nominis, hoc est, de essentiâ & naturâ Dei, nomen Dei h. l. accipiendum esse arguit. Tribuuntur ei porrò *divine Proprietates*, nimirum *Cultus divinus* (observare eum debent) *Timor & obedientia* (audire eum debent) *Sanctitas* (per peccata ad iram non provocandus) *Potestas legem ferendi*, (ad quam servandam obligentur.) Adscribuntur denique & *opera divina*, ut sunt *liberatio*, quam & promittit *Ex. III, 6. 7. 8. Introductio in terram promissam*, quæ nullibi per Angelos, sed per Deum facta dicitur, conf. *Ex. XIV, 24. c. XV, 1. 2. Num. XIV, 14. &c.* Taceo, quòd Angeli hujus apparitio in columnâ nubis & ignis eleganter personam futuri Messia præfiguraverit; Nam ignis fuit symbolum divinæ, nubes verò humanæ naturæ Filio Dei aliquandò personaliter uniendæ. Hinc Argumentum:

In quo Deo est Jehova mittens, & Angelus Jehova missus, in illo Deo sunt plures unâ persone in unâ Essentia. distincte.

Atqui in Deo nostro &c. Ergo.

Contra Adversarios *observa*. I. Non posse per hunc Angelum intelligi Moysen, Josuam, vel alium Prophetam; Nam de nullò horum dicitur, quod nomen Domini in mediò ejus fuerit. II. Nec Angelum creatum; Nam probavimus supra, non nisi increatum Angelum posse intelligi. III. Nomen *אֱלֹהִים* in Scripturâ sæpè de creatis Angelis usurpari, sæpè tamen tribui Filio Dei, cum circumstantiæ & analogia fidei postulat; neq; enim significatio vocis repugnat, quò minus Dei Filius sic vocari possit. Testi-

Testimonia Rabbiorum sunt. R. Salomon Jarchi Angelum hunc vocat Omnipotentem, ita enim in h. l. *Doctores nostri dixerunt, hunc Angelum esse Metatron, cuius nomen est sicut nomen Domini sui. Metatron enim per Gematriam idem est atque 173 Omnipotens, & utrumque facit eundem numerum 314.* AbenEsra tradit, juxta Cabbalisticam explicandi rationem, Angelum hunc esse Redemptorem, in cuius medio sit nomen maximum, quia in Deo Jehova sit petra aternitatum, eundemque esse qui dixerit: *Ego sum Deus ille Bethelis: vocari autem illum à Scripturâ Angelum, quod omnis gubernatio mundi per hanc proprietatem fiat.* R. Menahem ad h. l. ex veteribus Rabbinis docet, hunc Angelum esse Redemptorem Gen. XLVIII, 16. R. Moses Gerundensis dicit: *Iste Angelus (qui in rubo visus est) idem est, qui est Dei facies, de quo Mal. III, 1. Angelus fœderis. Quem locum de Messia accipiendum fatentur.*

Exod. XXIV, 1. Jehova dixit ad Mosen: Ascende ad Dominum.

En! hîc iterum alius est, qui cum Mose loquitur, alius, ad quem Moses ascendere jubetur; & dicitur tamen uterq; Jehova. Argumentum hinc formatum cum superioribus prorsus idem. Cum primis verò notandum est, ex diligenti hujus loci consideratione de Mysteriò SS. Trinitatis convictum olim fuisse R. *Elisæum*, adeò ut Judaismò desertò religionem amplecteretur Christianam non diu post Christi in cœlum Ascensionem. Videatur Gerson P. II. *Talm. Jud. c. V. p. 370.*

Exod. XXXIII, 19. Jehova se de nomine Jehovæ predicaturum promittit: quod Exod. XXXIV, 5. 6. actu præstat, ubi Moses sub exordium precatationis suæ nomen Jehovæ ingeminat,

Par & hîc est argumentandi ratio cum præcedentibus. Alius enim est Jehova prædicans, alius Jehova, de quò prædicatur, & prædicans pariter atq; is, de quò prædicatur, dicitur Jehova. Hinc manifesta illatio:

Ubi

Ubi est Jehova qui predicat, & Jehova, de quo predicatur, ibi sunt plures unâ persone in unâ Essentiâ distinctæ.

Atqui in uno Deo est Jehova predicans, & Jehova, de quo predicatur. Ergo.

*2. Sam. VII. 11. Nathan dicit Davidi: **Indicat tibi Dominus, quòd domum tibi faciat Dominus***

Hic alius est Dominus indicans, alius ædificans, uterq; tamen idem Jehova. Hinc repete præcedens argumentum.

*Pf. II, 7. **Filius meus es tu; ego hodiè genui te.***

Præsupponendum hic est, locum agere de Messia, ad quem Jehova hoc dixerit, quod Judæi antiquiores concedunt, uti probatum est Pokokio in *Notis Miscell. ad Portam Mosis c. IIX p. 306. seqq.* En igitur Deum Patrem, qui gignit Filium sibi coessentialem & ejusdem divinæ naturæ, nam $\gamma\eta$ non Metaphoricam, sed propriam notat generationem. Cum itaq; Deus gignere dicatur, non potest non Deum generare, nam vera generatio identitatem essentiæ infert, neq; generans dissimile sibi generat, sicut homo non gignit brutum &c. Quare & Pater emphaticè *suum* Filium vocat. Deinde hæc generatio dicitur fieri *hodiè*, i.e. ab æternò, nam apud Deum perpetuum hodie est, nunquam datur crastinus, nunquam hesternus dies; nulla datur temporis, nulla annorum, mensium, dierum vel horarum vicissitudo. Atq; adeò hic nullâ consequentiâ opus est, cum assertio ipsa formaliter hoc dicto comprehendatur. Eleganter Raymundus *L. 3. Pugionis fidei Dist. 1. c. 8. §. 11.* *Non dicit Deus: Olim genui te, quia sic videretur totaliter hæc generatio præterisse & desisse; nec dixit: Hodiè gigno te, quia sic videretur noviter incepisse. Convenientius igitur dixit: Hodiè genui te, ut daret intelligi per hodiè, generationem illam nunquam præterisse nec desisse, & per genui, nunquam incepisse, nec recenter inchoasse. Et hoc totum optimè nobis ostenditur Mich. V, 2.*

*Pf. CIV. 3. **Emitte spiritum tuum, & creabuntur.***

Petit hic Psalter missionem Spiritûs Sancti, cujus cum divinitatem,

tatem, cum personalitatem simul exprimit. Tribuit enim ipsi infinitam potentiam creandi, quæ solius Dei est; distinguit tamen à Deo mittente, quod essentialiter fieri non potest, cum Deus unus sit, ergo agnoscit, Spiritum S. esse personam divinam à mittente personâ distinctam. Hinc argumentum:

Qui à Deo petit, ut Spiritum S. tanquam Creatorem emittat, ille credit, præter Deum mittentem esse adhuc aliam personam in Dei essentia, quæ sit Spiritus Dei.

Atqui David b.l. à Deo petit &c. Ergò.

Pf. CVII, 20. Misit Verbum, & sanavit eos.

Verbum hoc non potest intelligi de $\omega\epsilon\phi\omega\rho\epsilon\mu\omega$, sed de hypostaticò, quod est ipse Deus Ex. XV, 26. conf. Sap. XVI, 12. En! igitur duas personas, Deum, qui $\lambda\acute{o}\gamma\omega\nu$ misit, & $\lambda\acute{o}\gamma\omega\nu$, qui missus est.

Pf. CXI, 1. Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dextram meam.

Psalmum hunc de Messia loqui, præsupponitur tanquam alibi factis demonstratum. Jam sedere quidem ad Dei dexteram, non Deo quidem, sed homini competit; homini tamen non extra unionem cum Deo personalem constituto. Ergò qui ad Dei dextram sedet, persona divina est, licet $\sigma\acute{\upsilon}\nu\theta\epsilon\tau$. Hinc argumentum:

Ubi Deus est dextram habens, & Dominus ad dextram Dei sedens, ibi sunt due persone in Dei Essentiâ distinctæ.

Atqui hic &c.

Contra Adversarios nota I. Neque Abrahamum, neque Moysen, nec Saulem, nec Davidem, nec Angelum custodem Davidis, nec Salomonem, nec Hiskiam, nec Zorobabelem, aut alium per hunc Adonai posse intelligi, sicut Judæi fluctuantes hinc sentiunt; Nam (1.) honor iste divinus, *sedere ad dextram Dei*, nudæ creaturæ non competit, (2.) Nullus horum omnium fuit Pontifex more Melchisedeci. II. Nomen *Adonai* æqualitatem Filii cum Patre non tollere, etsi non eodem nomine hinc dicatur Jehova; Nam (1.) sufficit, etiam Deum Jehovam vocari *Adon*, *Dominum*. (2.) Ratio dari potest, cur non Filium vocarit h.l. Jehova sed Adon quia nomen Jehova non suscipit suffixum, quod tamen hinc affigendum erat. F Ex.

Expendantur hinc ista Rabbinorum testimonia. Chaldaeus in suo Targum ita vertit: *Dixit Dominus Verbo suo: Sede ad dextram meam.* Midras Tillim ad Ps. XVII. *Dixit R. Ioden nomine R. Chama: Futurum est, ut Deus sanctus benedictus sedere faciat Regem Messiam ad dextram suam, sicut dictum est: Dixit Deus Domino meo, sede ad dextram meam.* Et ibidem in Ps. CX. *Dicitur ad eundem Ps. 2. Filius meus es tu; ad quem hoc loco: Sede ad dextram meam* (Atqui Filium Dei eundem esse, supra ad Ps. 2. probavimus.) Sic R. Saadiah Gaon hac de Messia intelligit, conferens cum hoc *Dan. VII, 13. 14. Et usque ad antiquum dierum pervenit &c.* item cum *Ps. II, 6.*

Prov. VIII, 22. Possedit me Dominus &c.

Hic locus est unus è præcipuis, in quo manifestè Filius Dei tanquam æterna persona à Patre distinguitur, sistiturque tanquam æterna & substantialis sapientia, cujus & *divinitatem* perspicimus, dum Salomon æternam vocat, & hæc universa creasse dicit *v. 22. 23. 30. & personalitatem*, dum ei vocem & clamorem *v. 1. 3.* loquelam, apertionem labiorum, palatum, oris eloquia *v. 6. 7. 8* abominationem & odium *v. 7. 14.* dilectionem *v. 17.* esse apud Deum tanquam aliam, ludere coram eo *v. 30.* delectari & conversari cum filiis hominum *v. 31.* &c. tribuit; quæ omnia arguunt hujus Sapientiaæ propriam subsistentiam. Hinc argumentum:

Vbi asseritur, Sapientiam Hypostaticam ab æterno apud Dominum fuisse &c. ibi asseritur, plures una in unâ essentia divina esse personas. Atqui in b. l. &c. E.

Prov. XXX, 4. Quis ascendit in caelos, & descendit? quis colligit spiritum in palmis suis? quis ligavit aquas in panno? quis constituit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen est Filii ejus, si nosti?

Manifestè Salomon hinc nomen Dei & Filii ejus arctissimè copulat, idque ait ineffabile esse, eos verò, qui id gerunt, simul existere, ejusdem esse essentiaæ, personaliter distingui, & distingui quidem ut Patrem

Patrem & Filium, quorum uterque religiosè sit adorandus. Quod sanè tale assertum est, quò formaliter & æterna Patris atque Filii coëxistentia, & utriusque ὁμοσιία, & personarum διακρίσις, & naturalis Filii à Patre γέννησις, confirmatur, ut nullo Syllogismo opus sit. Nam,

Cujus (1.) Nomen aequè ac nomen Dei est ineffabile & inexplicabile, (2.)

Deo coexistens, omnipræsens, omnipotens, creandi potestatem habens &c. ille cum Patre est verus Deus.

Atqui talis hic Filius est. Ergò,

Contra Adversarios observa, Non loqui hîc Salomonem de Abrahamo & ejus filio, nec de Mose & Aarone, nec de populò Israele, neque de Eliâ, &c. Nam (1.) longè infra maiestatem sermonis huius est, quicquid de istis omnibus Scriptura refert. Neque (2.) montes, in quos isti homines ascenderunt, ullibi dicuntur cœlum. (3.) Illorum nomina haud fuerunt ineffabilia. (4.) Populus Israel primogenitus quidem Dei vocatur *Exod. XIII.* Sed filiatio eius, de qua hic Salomon loquitur, naturalis & æterna sistitur, qualis populo Israelitico non competit.

Hinc R. Moses Hadarschan suos refutat ad *Gen. 44.* inquiring: *Deus sanctus & benedictus ascendit in cœlum atq; descendit, sicut dicitur Job. 28. ligans aquas in nubibus suis. Pater senex est nomen ejus, & infans senectutum est nomen ejus, & infans senectutum est nomen Filii sui.* Quibus verbis *Galat. L. 2. de Arc. Cath. Ver. c. 5.* addit: *Hic ideò Deus Pater vocatur senex, quia nec principium habuit, nec finem habebit unquam. Filius verò Dei ideò infans senectutis dicitur, quia ab æternò ex illo genitus est, seu in æternum nascetur, & quis genituram ejus enarrabit?*

Jes. XXXIV, 16. Quod ex ore meo procedit, ille mandavit; & Spiritus ejus ipse congregavit ea.

Hic alius est Jehova mandans, alius Spiritus ejus congregans: Hinc argumentum:

Ubi Dominus & ejus Spiritus actionibus certis, quæ non nisi personis conveniunt, distinguuntur, ibi Dominus à Spiritu distinguitur, & pluralitas personarum asseritur.

Atqui b. l. & c. &.

Plura non congeremus loca, cum sub manu crescat Exercitatio, etsi quamplurima in promptu sint, in hanc classem conferenda. Expendantur saltem ista adhuc ex Prophetarum Oraculis & conferantur *Jes. XLV, 25. Jer. XXIII, 5. 6. Dan. II. 34. 35. c. IX, 17. Hof. I, 7. III, 5. Zach. II, 8. seqq. c. III, 2. c. X, 7. & c.* Quanquam verò, si hæc loca singula & seorsim consideres; non nisi duarum personarum mentionem habes; habes tamen assertam Trinitatem, si omnia vel pleraque coniunctim sumas, dum quædam Patrem & Filium, quædam Patrem vel Filium & Spiritum Sanctum in unâ divinâ essentia demonstrant.

IV. TERTIA CLASSIS ipsa illa testimonia offert, quæ SS. Trinitatem singula determinatè probant. Quorum præcipua recensetimus cum brevi ad scopum nostrum applicatione.

Gen. I, 1. 2. 3. In principio creavit Deus cælum & terram. Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Deus dixit.

Cum hoc Scripturæ divinæ exordium quasi fons sit omnium, quæ de SS. Trinitate in V. T. inveniuntur, multi inde modò non unò mysterium illud probare susceperunt. Alii vocabulum *רוח* ad alteram Trinitatis personam, Filium nempe Dei referunt, cum ipse non tantum *רוח* seu primogenitus sit *Gen. XLIX, 3.* Sed & *Pf. XL 7.* per Davidem dicat, in initio libri de se esse scriptum, quod de hac voce intelligunt. Probant hanc suam sententiam, tum quòd principium temporis non possit intelligi, quoniam mundus positivè in tempore conditus non sit; sed negativè tantum, h. e. non in ipsâ æternitate: tum quòd Filius Dei sit principium, in quò omnia creata *Iob. I, 3. Ebr. 1, 2.* tum denique quòd Targum Hieros. principium hoc sapientiam appellet superiorem. Alii iuxta Cabbalam mysterium Trinitatis in hoc vocabulo latere dicunt. Ad quæstionem *Jes. XL, 26.* *מי ברא אלה* *Quis creavit ista?* Respondent isti per *svavem* & exigam

quam literarum metathesin ex h. l. **אֱלֹהִים בָּרָא** Deus creavit, & quidem **בְּרֵאשִׁית** in principio, ita ut prima vocis litera **ב** significet **בֶּן** aut **בֵּר**, **רוּחַ**, **אֵב**, **שָׁמַי**, **יְהוָה**, **תְּמִים**, ut sensus sit: *Filius Spiritus, & Pater nomen Iehova perfectum.* Spiritum, addunt, mediō loco poni, quia commune amoris inter Patrem & Filium vinculum sit, & essentiam quoque ab utroque per spirationem æternam habeat. *Alii* Trinitatem investigarunt in tribus verbis à Mose h. l. adhibitis: *Dixit, Fecit, Vidit.* Per primum designari credidēre Patrem, qui per æternam dictionem Filium tanquam Verbum substantiale produxit & generavit: Per secundum Filium, quod per eum omnia creata & facta sint, quòdque det esse rebus: Per tertium Spiritum Sanctum, qui creaturas intueatur atque probet. Verum enim verò nos illa omnia suis autoribus relinquentes sic procedimus. *Pater* tanquam prima persona, quam nullum dubium est esse Deum, monstratur à Mose verbò *creavit v. 1.* quæ est proprietas characteristicæ externa Primæ personæ. *Filius* qui est secunda persona, probatur verbò *Dixit v. 3.* **אָמַר**, ex quò Chaldæus suum **מִימְרָא**, quò Messiam frequentissimè designat, derivavit. Non enim notat verbum **προφορικόν**, externum sc. & evanescens, cum aer, quò mediante verba externa fiunt, tum nondum extiterit: Sed Verbum hoc Dei nunquam factum est, nunquam creatum, semper cum Deo fuit, est, erit, neque unquam evanuit, verum permanet, eoque creaturæ persistunt & conservantur. Cum itaque Verbum hoc sit **ὑποστατικόν**, ab æternò ante mundi creationem existens, sequitur, quòd sit Deus ipse, quoniam in Deo præter essentiam ejus nihil datur. Pulchrè de hoc Verbò Venerandus Theologus Dn. D. Sebast. Schmidius in *Disp. de antiq. fid. Mos. circa Myst. Trin. ex h. l. c. 2. p. 17.* In omni, inquit, loquelâ duplex datur verbum, quod dicitur, & est verbum, per quod dicitur. Illud à dictione formatum: ab hoc ipsa procedit dictio. Illud opus dicentis est: hoc virtus, per quam dicit. Intelligimus hic non verbum, quod dicitur, sed per quod dicitur, non quod à dictione formatur, sed à quo procedit dictio, ipsam nimirum dicendi virtutem, per quam dicitur: *Fiat Lux, fiat expansum &c.* Virtus autem dicendi in Deo ab æterno est, & verbum de quò hic loquimur, unum est per omnes sex creationis dies: illud alterum varium & multiplex, modò, *Fiat lux, modò, Fiat expansum &c.* Illud autem

per quod dicitur, hic in verbo *Vaijomer* comprehenditur, & ex eo optimâ consequentiâ elicitur &c. Est itaque in creatione verbum quoque, quod dictum est à Filio Dei cum Patre. Atque adeo Filius Dei non est verbum dictum à Patre in creatione, sed per quod Pater dixit, ut crearet. Quanquam aliàs Filius Dei etiam possit dici suo modo verbum, quod à Patre dicitur, cum virtus dicendi à dicente exeat. Spiritus Sanctus, qui est tertia persona v.2. expressè vocatur Spiritus Dei incubans super aquas. Vox Elohim indicat, hunc Spiritum esse personam ex Elohim conf. *Es.* XL,3. *Pf.* XXXIII,6. *Pf.* CIV,30. Participium *Merachepeth* etiam divinitatem eius infert, descendit enim à *הוהו* quod tantum *Deut.* XXXII,11. & *Jer.* XXIII,9. occurrit, & significat, more volucrum super pullis sese agitare, vim vitalem eis tribuendo. Et sic omninò Spiritus Sanctus ad opus creationis concurrebat, incubabat enim massæ illi rudi & indigestæ, eamque fovebat, sustentabat, vivificabat, donec inde rerum species, tanquam ex ovis pulli excluderentur. Hinc argumentum:

Ubi est Creator, & Verbum ipsi coessentialis, per quod creavit, & Spiritus creaturas vivificans, disponens atque sanctificans, ibi sunt tres distinctæ personæ.

Atqui in unâ Dei essentia est &c. Ergò.

Contra Adversarios observa. I. Non posse hîc intelligi Verbum mandati; Nam rectè Maimonides in *More Nevoch.* P.1. c. 65. *Sermo, quo aliquid præcipitur, necessariò dirigi debet ad rem existentem, quæ hîc nulla erat, sed demum existere debebat.* II. Spiritum illum non esse ventum; Nam tùm nihil omninò rerum creatarum, nedum ventus extitit.

Facit huc testimonium R. Mosis Botril ad lib. *Jezira*: *Tres, inquit, Spiritus aquæ ex spiritu, spiritu, inquam, qui procedit de spiritu Spiritus Sancti, qui est Spiritus tertius de Creatore, benedictus sit ille, ex isto creatæ sunt aquæ, & hoc est mysterium Gen. 1,2. Et Spiritus Domini ferebatur &c.*

Exod. III,13. seqq. & XX, 19. Apparitio in rubo Mosi facta, eductio populi ex Ægypto, & legislatio Sinaitica.

Hæc loca meritò conjungimus, quia sic coniuncta egregium argumen-

gumentum pro SS. Trinitate asserendâ præbent, quod brevitatis studio cum B. Dannhauerò *Hodosoph. Phæn. III. p. 267.* in hunc modum proponimus :

Qui Mosi apparuit in rubo, populum eduxit ex Ægypto, & legem Sinaiticam tulit, ille est verus Deus. (Hi enim actus vero Deo immediatè in Scripturâ tribuuntur.)

Atqui Deus in personis trinus, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob (quæ repetitio trina ob mysterium Trinitatis facta) *Pater* (de quò nullum dubium) *Filius* (qui est Angelus increatus in rubo visus) *Spiritus Sanctus* (Jes. LXIII, 10.) *Mosi apparuit in rubo, populum eduxit ex Ægypto, & Legem Sinaiticam tulit.*

E. Deus in personis trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus est verus Deus.

Num. VI, 25. 26. Benedicat tibi Jehova, & custodiat te, Faciat Jehova &c. attollat Jehova &c.

Tripliciter hinc Trinitatem probamus (1.) *Ex trinâ nominis Jehovæ repetitione.* Proferant nobis Judæi causam fonticam, cur vox Jehova ter repetatur in publicâ hâc benedictione populi, & quidem cum diversis accentibus, quod pro mysteriò ipsi Judæi habent; Cur non quater, quinquies, aut semel dicatur: *Benedicat Jehova, custodiat te, faciat tibi gratiam, & addat pacem?* Sed cur ita dicendum præcisè, ne vocolâ insuper habitâ? (2.) *Ex distinctorum beneficiorum enumeratione.* Jehovæ, qui primò nominatur, adscribitur *benedictio & custodia*, quarum illa salutem tum animæ, tum corporis, temporalem & æternam, complectitur, quæ à Patre, tanquam salutis fonte, oritur, *Gen. IX, 1. c. XII, 2. c. XXVIII, 3.* hæc conservationem & defensionem *Job. X, 12. Ps. XVII, 8.* Jehovæ, qui secundò nominatur, lux faciei tribuitur. Est enim Filius ipsa facies Patris *Exod. XXIII, 14. 20. Es. LXIII, 9* huic lux faciei competit *Ps. XXXI, 17. XXXVI, 10. LXXXI, 4. LXXXIX, 16. Jes. XLIX, 6.* & gratia *Exod. XXXIII, 19. Ps. CII, 14.* Jehovæ, qui tertio nominatur, attribuitur sublatio faciei, & collatio pacis; quod est beneficium Spiritus S. vid. *Ps. LI, 13. 14.*

(3.) *Ex*

(3.) *Ex liturgiis Veteris Judaicae Ecclesiae observatione.* Quando Sacerdotes quotidie hanc εὐλογία recitabant populo benedicentes, protensi ante vultum suum palmas utrasque tenebant: cum vero dicebant, *Jehova, Dominus*, tres digitos priores utriusque manus, pollicem videlicet indicem, atque medium altius erigebant, eoque dicto iterum remittebant. Quid hanc digitorum elevatione aliud voluerunt, quam ut populum mysterii hujus admonerent? Hinc Raymundus in *Pugione P. 3. Dist. 3 c. 4.* tradit, *Sacerdotes populo Judaico singulis diebus in memoriam revocasse Trinitatem, eique benedixisse in nomine Patris, Filii, atque Spiritus S. eodem modo, quo Paulus Corinthios in obfignatione Epistolae posterioris salutavit, quae salutatio huic benedictioni plane σὺμφωνῶν est.*

*Deut. VI, 4. Audi Israel, Jehova Deus noster
Jehova unus est.*

Hoc est illud Kri-schma, quod Judaei bis quotidie recitant, seque propterea beatissimos gloriantur. *O beatos nos, qui quotidie mane & vespere bis surgimus dicentes: Audi Israel &c.* Ad quam ejus recitationem quotidianam se lege teneri dicunt, adeo ut illius intermissione vastationem urbis & templi tribuant. *R. Abarbanel ad Jes. V, 2. Dixit R. Abbu: Non est desolata Hierosolyma, nisi quia omiserunt lectionem illam; Audi Israel &c. mane & vespere recitare. Scriptum quippe est: Va illis, qui mane surgunt &c.* Neque recitant solum, sed etiam purae membranae inscriptum capiti intra caesariem & frontem, atque sinistro brachio alligare solent. Aeri quoque incisum januis suis apponunt, & si ve in loca peregrina, si ve in locum judicii exeant, manu tangunt, quam capiti dein imponentes additis verbis *Pf. V, 9.* identidem repetunt, nullum sibi periculum sic metuendum persuasi. Nimirum acropolin religionis suae in hoc dicto ponunt, quod unitatem Dei contra Christianos Trinitatem asserentes tam manifeste videant in eo fundari. Et sane palmarius quoque est, qui unitatem essentiae divinae aperte tradit; at vero simul est praecipuus unus, qui Trinitatem confirmant. Neque tantum pluralitatem personarum in una essentia docet, nomine plurali *Elohim* ad singulare & proprium *Jehova* apposito, sed hanc pluralitatem ad numerum restringit ternarium. Non aliam enim ob causam ter

Moses

Moses Dei nomen ibi posuit, nisi ut divinarum personarum Trinitatem distinctè insinuaret. Et quæso, cur secundo tantum nomini additur *Deus noster*, non primo, non tertio? nempe docere voluit Moses, neque Patrem, qui prima est in Trinitate persona, neque Spiritum S. qui est tertia, sed solum Filium, qui secunda Trinitatis persona est, per nostræ humanitatis participationem Nostrum fore. Hinc argumentum:

Quic. textus in asserendâ Dei unitate, nomen Dei non modò ter repetit, sed & in secundâ ejus mentione illud singulari & ego docet, quò Deus incarnandus significetur, ille præter unitatem essentia docet quòq; Trinitatem personarum, & ita docet, ut secundam personam incarnandam moneat.

At qui hic textus Mosaicus &c. Ergò.

Testimonium veritati perhibet R. Simeon filius Jochai in lib. Zohar, cujus summa apud Judæos autoritas, super h. l. *Audi Israel;* Ait R. Isha: Hic est ò Israel antiquus *יהוה* i.e. Deus, qui est principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur Pater. Dicit: *יהוה* i.e. Deus Noster, profunditas fluminum & fons scientiarum, quæ procedunt ab ipso Patre, & Filius vocatur. Dicit: *יהוה* i.e. Deus. Hic est Spiritus Sanctus, qui à duobus procedit, & vocatur mensura vocis, unus est, ut unum cum alio concludat & colligat. Neque enim aliud ab alio dividi potest. Spiritus S. enim amor est, & latitia Dei Patris & Filii indissolubilis. Et præterea ait: *שמעו* Audi, i.e. Congrega Israel hunc Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, eumq; fac unam essentiam, unamq; substantiam, quia, quicquid est in uno, est in alio. Totus fuit, & totus est, & totus erit, & talis est Filius, qualis Pater, talis & Spiritus Sanctus, qualis Pater, qualis Filius. Pergit ibidem: Hoc arcanum Filii non revelabitur unicuique, quousq; venerit Messias; quia tunc (ut dicit Esaias) repleta erit terra scientiâ Dei sicut aquæ mare operiunt.

2. *Sam. XXIII, 2.3. Spiritus Jehova locutus est in me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israelis, mihi locuta est petra Israelis &c.*

G

Hic

Hic David distinctè tres personas Divinitatis confitetur. *Primam* seu Patris vocat *Deum Israelis*, eò quòd Israelitis se Pater peculiariter patefecit, ut ab iis agnosceretur ac coleretur: *Secundam* s. Filii personam vocat *petram Israelis*, scilicet metonymicè, quòd hic esset custos, defensor, propugnator, & protector Israelis, sicut apparuit in educatione ex Ægypto & deductione per desertum, quæ per Angelum Jehovæ h. e. per Messiam seu Filium Dei facta est, conf. *Es. XXVI, 4. Ps. XLIV, 10. 1. Cor. X, 4. 9. 1. Petr. II, 8. Tertiam* vocat *Spiritum Jehovæ*, quem à reliquis personis distinguit proprietate personali externâ, Psalmorum compositione &c. *2. Pet. I, 19.* Hinc argumentum:

Quot hic personas David nominat, à singulari opere designatas & distinctas, tot sunt persona in Dei essentiâ.

Atqui tres personas David nominat à singulari opere designatas & distinctas, primam quidem, quòd sit Deus Israelis, secundam, quòd sit petra Israelis, tertiam, quòd sit Spiritus Jehovæ per ipsum locutus.

E. tres sunt persona in Dei essentiâ.

*Ps. XXXIII, 6. Verbo Domini cæli firmati sunt,
& Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.*

Quemadmodum textus hic est Synopsis totius cap. i. Gen. ita simul admirandâ brevitate in eòdem exposuit Trinitatis, quod & Moses docebat, Mysterium, ita quidem, ut non tantum tres personas, sed & cujusq; personæ nomen distinctum exprimat. *Primam* vocat *Jehovæ*, *secundam* verbum, *tertiam* Spiritum oris Domini. Hinc argumentum:

Quot nominatim personas David in opere creationis occupatas fuisse docet, tot sunt persona in unâ Dei essentiâ.

Atqui tres personas, nominatim Jehovæ, Verbum, & Spiritum oris ejus, David in opere creationis occupatas fuisse docet.

E. tres persona, nominatim Jehovæ, Verbum & Spiritus oris ejus, sunt in unâ Dei essentiâ.

Ps. XLV,

Pf. XLV, 8. Unxit te Deus, ò Deus, oleo lætitiæ.

En ! tria distincta supposita (1.) Deus ungens, (2.) Deus unctus, & (3.) Oleum lætitiæ, quò ille hunc unxit. Hinc argumentum: *Ubi unq; est Deus ungens, Deus unctus, & Deus unguentum, ibi sunt tres distincta persona.*

Atqui in una Dei essentia est Deus ungens (i. e. Pater) Deus unctus (i. e. Filius seu Messias) & Deus, quò tanquam oleo & unguento unctio fit (i. e. Spiritus Sanctus.)

Ergò in una Dei essentia sunt tres distincta persona.

Contra Adversarios *observa*, I. Non de Abrahamo vel Aarone, non de Davide aut Salomone hunc textum agere, sed de solo Messia, id quod agnoscunt Rabbiorum præcepti, *Jonathan, Kimchi, Aben-Efra &c.* II. Nomen Elohim propriè quidem pluralitatem inferre, hinc autem personaliter accipi: Nam difficultas hæc facile potest superari, si attendatur, nomen id primò & ordinariè competere Trinitati seu personis simul junctis, secundariò autem cuilibet personæ, e. g. Filio *Hof. I, 7. c. XII. 3. &c.* Qui tamen vocis usus neq; sic caret mysterio, habetur enim tum respectus ad mutuam personarum *ἁλληλοψηφισιν*, quâ nulla persona solitariè Deus est, sed in Trinitate, & cum aliis duabus unus Deus est. Atque sic omninò relativè & implicite innuitur pluralitas, & respectus habetur ad mysterium Trinitatis. Quando itaque hic & alibi vox pluralis Elohim de unâ personâ prædicatur, subaudi debet aliqua distributio, ut intelligatur, personam unam esse ex Elohim, qui sunt Jehova verus Deus: Minimè verò personam illam solam esse Elohim, cum tres personæ sint Elohim h. e. verus Deus.

Pf. LXVII, 7. 8. Benedicat nobis Deus, Deus noster, Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes termini terræ.

Responsorium hoc erat populi, quo benedictionem Sacerdotalem, quam ex *Num. VI, 23.* paulò ante habuimus, in se receptam,

72
 quasi obfignabat. Quemadmodum ergò ibi ostendimus, SS. Trinitatem asseri, ita & in hoc locò asseritur; & fidem simul suam testatur populus, credere se non modò Trinitatem, sed & secundæ ejus personæ futuram incarnationem, quippè quæ *Immanuel* & *Deus noster* sit; & ita se hanc Trinitatem credere, ut simul eandem unum essentiâ Deum veneretur. Raymundus Martini in *Pugione fidei* P. 3. Dist. 1. c. 3. §. 1. *Attende obsecro*, inquit, *quoniam ter dicendo Deus docet te mysterium Trinitatis, & subjungendo: Et meruant eum; & non, & meruant eos, quomodo tibi Essentia unitatem monstret.*

*Jes. VI, 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
 Deus Zebaoth, plena est omnis terra gloria
 ejus.*

Solent hoc *תְּרוּמָה* Judæi ex veteris traditionis observatione etiamnum hodiè religiosè & *Krischma* recitationi adjungere; quod procul dubio ab antiquis Judaicæ Ecclesiæ Doctoribus sic piè institutum est, ut, dum unitatem Dei profitebantur ab idolorum cultu quotidie sic arcendi, simul tamen admonerentur trium personarum, quarum in eodem dictò, ceu ostendimus, fit mentio, quod hoc Angelorum *תְּרוּמָה* luculentius exponit, & ita quidem, ut simul unitatem essentiæ confirmet. Hinc argumentum:

*Quoties Seraphini in hoc hymnò Deum essentiâ unum laudant sanctum,
 tot sunt persona in una Dei essentia.*

At qui ter Seraphini in hoc hymnò Deum essentiâ unum laudant sanctum.

Ergò tres sunt persona in una Dei essentia.

Contra Adversarios observandum. I. Non ter dici *sanctus* ob assiduitatem Angelorum; Nam (1.) assiduitas in trinâ repetitione non consistit; cur non decies, vel centies, vel millies dicunt *Sanctus*? Si breviter laudare vellent, semel aut bis *sanctus* dixissent; si verò multum, centenum vel millenum numerum usurpassent. Ergò in trinâ hac repetitione mysterium latet. (2.) Ista assiduitas potius per trinam repetitionem verbi canunt, quam nominis objectum exprimentis, à
 pro-

SS. TRINITATIS.

Prophetâ fuisset significata. (3.) Verba quoq; immediatè sequentia: Plena est omnis terra gloriâ ejus; eodem modò repetenda fuissent. E. trina hæc repetitio non est Mimesis sedulitatis Angelicæ in cantando, sed periphrasis subjecti in solio visi. II. Angelos hæc repetitione se invicem non excitasse, ita ut duo priora שׁוּב tanquam Vocativa sonent, Neq; יְהוָה Sanctus cantare alternatim, adeò, ut primus dicat Sanctus, respondeat alter Sanctus, & tum ambo concinant: Sanctus Dominus Zebaoth &c. Nam meræ hæc sunt coniecturæ & somnia Judæorum nullis subnixa rationibus. III. Attributorum aliorum divinorum Angelos hîc non habere respectum; Nam longè plura quàm tria eorum in Deò sunt. IV. Trinam hanc repetitionem non fieri ob perfectionem Dei, quasi esset superlativus, idemq; sonaret, quod Sanctissimus; Nam ad Superlativum formandum non trinam repetitionem Hebræi adhibent, sed semel idem epitheton iterasse iis sufficit. Conf. Glassius lib. III. Phil. S. Tr. I. Can. 16. p. 55. V. Locum Jer. VII, 4. planè ἀνεργασίας cum hoc nostro conferri ab iis, qui mysterium Trinitatis ex hõc probari posse negant. Nam si collatio instituenda, invertendum est potius, dicendumque; Quemadmodum trina repetitio templi innuit tres templi partes, (quod ipse R. Kimchi observat;) ita trina repetitio nominis Kadosch innuit tres personas in Deò. Atq; par ratio est loci Jer. XXII, 29. ut in exhortatione terræ, h. e. incolarum terræ fit trina repetitio, ad indicandum, tres status, Ecclesiasticum, Politicum, Oeconomicum, excitari: nec ullum eximendum esse.

Testimonia Rabbinica duo de hõc קדושה laudat Galatinus lib. II. de Arc. Cath. Ver. c. 1. Unum Jonathæ Uzielidis è Targum: Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus. Alterum R. Simeonis ex lib. Zohar: Sanctus, hic est Pater, Sanctus, hic est Filius, Sanctus, hic est Spiritus Sanctus. Cæterum malâ quidem fide Galatinus Raymundum excripit; hîc tamen se bonâ fide agere asserit, seque asseverat vidisse Licii eò tempore, quò iussu Regis Catholici ex totò regnò Neapolitanò Judæi expellerentur, eiusmodi exemplar MSCtum, in quò ista sic expressa fuissent.

54
*Jes. XLVIII, 16. Accedite ad me, & audite
 hoc, non à principio in absconditò locutus
 sum, ex tempore, antequam fieret, ibi eram,
 Et nunc Dominus Deus misit me, & Spi-
 ritus ejus.*

Vocatur hic textus à quibusdam lampas & aureum candelabrum
 V. T. ad Trinitatem demonstrandam. Non Prophetam hîc loqui, sed
 Deum, patet ex antecedentibus ubi dicit, se antiquissimis tempo-
 ribus futura indicare v. 3. 4. 5. se esse omniscium v. 7. gloriam suam al-
 teri se non dare v. 11. esse primum & novissimum v. 12. creasse cœlum
 & terram v. 13. Est ergò ipse Messias Filius Dei, qui hæc dicit: *Accedite*
 &c. Et hic enunciat, se esse missum à Jehovâ & Spiritu eius, i. e. à
 Patre, & Spiritu S. & æquè quidem à Spiritu S. ac à Patre, ut innuatur
 utriusq; distincta subsistentia. Hinc argumentum:

Ubi duo sunt, qui mittunt, & unus qui mittitur, ibi tres sunt persona.

At qui in unâ Dei essentiâ duo sunt, qui mittunt, & unus, qui mittitur.

E. in unâ Dei essentiâ tres sunt persona.

Contra Adverlarios *observa* I. Hæc verba non esse divellenda,
 ita, ut posteriora: *Et nunc* &c. Prophetæ tribuantur; Nam (1.) textus
 sine interruptione fluit, & continuò eadem persona loquens intro-
 ducitur. Idem ergò, qui hîc loquitur, v. 17. *seq.* ait: *Hæc* (i. e. tam
 quæ præcedunt, quàm quæ sequuntur) *dicit Dominus, Redemptor tuus,
 Sanctus Israel.* (2.) Si hæc Prophetæ verba essent, sanè novi versus es-
 set principium, ut inter loquentes personas fieret distinctio. (3.) Quan-
 quam Jonathan in Targum hæc verba inserat: *Dixit Propheta: Et nunc*
 &c. nobis tamen opponi non possunt, qui eius auctoritatem non admit-
 timus, soli textui avthentico inhærentes. II. Spiritum Jehovæ non
 denotare Angelum, Persiæ regno præfectum, ut Kimchi & AbenEfra
 volunt; Nam (1.) nunquam in sacris literis Angelus vocatur Spiritus
 Jehovæ. (2.) Non Angeli, sed solus Deus mittit Prophetas.

Faciunt huc testimonia R. Jose, qui in lib. Mechilta dicit: *Ecce
 ipse Deus sanctus benedictus dicit Es. 48. Non à principio in absconditò lo-
 cutus sum, à tempore sui esse, Legis sc. Mosaica, ibi ego &c.* Messiani,
 hæc loqui concedunt Medrasch Tillim, R. Saadiah Gaon, R. David
 Kimchi.

Kinchi. Porro etiam R. Abarbanel per Spiritum hunc Spiritum S. intelligit: *Posuit, inquit, in medio ipsius Spiritum Sanctitatis suae, qui est ipsissimus Sanctus benedictus.*

Atq; hæc etiam loca pro hæc classe sufficiant, postquam singulæ sacra V. T. Scripturæ partes, Moses, Prophetæ, & Hagiographa, testimonia pro mysteriò SS. Trinitatis clara atq; aperta dixerunt. Si quis Commilitonum se in pluribus evolvendis exercere velit, conferat *Exod. XX, 5. XXXIV, 6. Num. XI, 20. XV, 41. XXIII, 21. Deut. XXXII, 39. Jos. XXII, 22. Job. XXXIII, 4. Ps. XXVII, 8. 9. XLII, 3. L, 1. LI, 16. 17. LXXII, 18. CIII, 3. 4. 5. CV, 4. CXI, 8. Jes. XI, 1. 2. XXXIII, 22. XLII, 1. XLIV, 6. XLV, 11. 21. XLVIII, 16. LIX, 20. 21. LXI, 1. LXIII, 7. 8. 9. 10. Jer. XXIII, 35. Dan. VII, 9. 10. 13. 14. IX, 19. Joel. II, 27. 28. 32. Hag. II, 6. 8. &c.*

V. Superest CLASSIS QUARTA, cui adumbrationes & symbola, quibus mysterium Trinitatis in V. T. repræsentatum fuit, assignavimus, quorum omnium præclarissima est apparitio Abrahamo facta *Gen. XVIII, 1. seqq.* ubi tres Abrahamo apparent hospitio excepti, ita ut simul cultum religiosum deferret. Quod satis argumento est, non fuisse tres Angelos creatos, quippe quibus neque nomen Dei Jehova, neq; cultus adorationis convenit; etsi ita Veterum nonnullis visum sit, quos sequitur & defendit Cornelius à Lapide *Comm. in b. l.* Neque tamen existimemus, ipsas SS. Trinitatis personas sese sub trium virorum specie manifestasse, etsi Augustinus *lib. II. de Trinitate c. XI. & XII.* prolixius id confirmet, quem sequendum judicant Jo. Forbesius à Corse *lib. I. Institut. Histor. Theol. c. XIV.* & Jo. Lightfooth *Tom. I, Opp. f. 157.* Nam disertè Apostolus hospitio exceptos ait ab Abrahamo Angelos *Hebr. XIII, 2.* cum tamen nusquam Deo Patri in Scripturâ nomen Angeli tribuatür, neq; id ei competat. Convenientissima itaq; est sententia, tres illos viros fuisse Filium Dei duobus Angelis comitatum, qui tot, nec pluribus nec paucioribus assumtis nihil aliud quàm Trinitatis mysterium insinuare voluit. Quæ sententia fuit Justin Martyris *in Dialogo cum Tryphone,* Chrysostomi *Comment. in b. l. Genes. Hilarii, lib. IV. de Trinitate,*

nitate, aliorumque, quam & B. Lutherus suam fecit: Ostendit, inquit, hic occultè sensu, non historicò, quòd Deus sit unus & trinus, siquidem Abraham tres vidit, & unum adoravit. Quia igitur tres apparent, & unus loquitur, quia Abraham tres videt, & unum adorat, ideo dicunt Patres significari, quòd in Deo sit aliqua Trinitas, & non, quòd illa species, seu personæ tres sint Trinitas. Et in hujus apparitionis memoriam Constantinus M. templum in Mamre exstruxit, cujus verba ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum teste Eusebio lib. 3. de vita Constant. c. LII. & LIII. hæc sunt: Illic primùm Salvator cum duobus Angelis sui ipsius apparitionem prolixè Abrahæ exhibuit; illic hominibus apparere cepit. Etsi igitur apodicticè hinc mysterium S. Trinitatis demonstrari nequit, symbolicè tamen ostendi & commendari potest ex ipsâ Filii Dei sic apparentis intentione, qui nec pluribus, nec paucioribus, quàm duobus voluit stipari, ita ut tres personæ Abrahamo comparuerint.

Contra Judæos Adversarios *observa* I. Tres illos hospites non fuisse Prophetas ad Abrahamum missos, quod nonnullorum apud Aben-Efram & Tostatum somnium est; Nam (1.) Abrahamus istos tanquam homines non adeò religiosè coluisset, si homines fuissent. (2.) Missi dicuntur duo ex his Angeli, ut Sodomam everterent, quod hominibus tali modò efficiendum committi non potuit. II. Non fuisse tres Angelos creatos, quod Aben-Efra, R. Salomo, & cæteri Judæi communiter statuunt, eosque nominibus quoque distinguunt, Michaelem, Raphaellem, atque Gabrielem, quorum cuique certa commissa functio fuerit; primo, ut Saræ novum partum nunciaret: secundo, ut Abrahamo è recente circumcisionis vulnere ægrotanti subveniret: tertio, ut Sodomam everteret; Nam (1.) Angelis creatis non competit nomen Dei proprium Jehova & Adonai, quibus tamen unus ex his ad minimum octies appellatur. (2.) Tribuuntur huic opera divina, ut sunt, sterilem anum reddere puerperam v. 10. occulta nosse ac videre v. 13. Judicem esse universi mundi v. 25. &c. (3.) Abrahamus sic injurius fuisset in duos reliquos, quos non æquali honore fuisset dignatus. (4.) Ipsi Judæi in assignandis functionibus discrepant, quod vide apud Cartvrigtum *electis Rabbinitis in b. l. p. 141.* (5.) Plures occurrunt actiones, nimirum colloquium cum Abrahamo, mutatio uxoris

ris

ris Lothi in statuam &c E. plures Angeli mittendi fuissent. (6.) Eusebius lib. 5. Dem. Ev. c. 9. tradit, apud gentiles usque ad tempora Constantini M. constanter creditum fuisse, Abrahamo hic Deum ipsum, non tantum Angelos apparuisse; quod sine dubio à veteribus Hebrais didicerunt. Unde & Sozom. lib. 2. Hist. c. 3. refert, in memoriam hujus apparitionis juxta quercetum Mamre quotannis convenire solitos Judæos, Gentiles & Christianos, atque ibidem quemq; suo ritu sacra peregrisse.

Plura SS. Trinitatis Symbola qui velit, conferat Paul. Weidnerum Tr. I. Loc. fidei Christ. p. 140. seqq. Nos enim immorari istis nolumus, cum parum probent; cujusmodi & illud est, quod Raymundus Martini in Pug. fidei P. 3. D. 1. c. 4, §. II. ex Medrasch Coheleth affert, quasi & in illò Job. IV, 12. funiculus triplex non facile rumpitur; mysterium Trinitatis representetur, quod apud ipsummet videatur, simulq; conferantur observationes Josephi de Voisin è Cabbalisticis ista declarantis.

CAPUT V.

In quò nonnulla Judæorum argumenta contra SS. Trinitatem breviter discutiuntur.

I.

Audiatur & altera pars. Quanquam enim Judæorum exceptiones ad pleraq; Scripturæ loca, quæ pro Mysteriò SS. Trinitatis ex V. T. urgemus, jam capite præcedenti simul profligavimus; sunt tamen nonnulla ipsis argumenta, quibus Christianorum doctrinam impugnant, quorum præcipua unà cum responsione Christianorum, paucissimis adhuc exponemus.

II. Objiciunt (I.) *impossibilitatem rei*, & concludunt: *Quicquid absolute est impossibile, illius existentiam credere est mera stultitia. Atqui Trinitas in unitate est absolute impossibilis. Ergò.* Resp. (1.) distinguendò inter id, quod *in se est impossibile absolute*, & inter id, quod *tale rationi videtur*. Conf. Gen. XVIII, 14. 2. Reg. VII, 2. Zach. VIII, 6. Trinitas in unitate tantum *rationi videtur impossibile*, in se non est. Nam (2.) *Quicquid Deus per Scripturam revelavit, illud in se non est impossibile.* Atqui Trinitatem in unitate Deus per Scripturam revelavit, quod capite præcedenti probavimus. Ergò.

III. Objiciunt (II.) *incommunicabilitatem essentia*, & argumen-

H

tantur:

tantur: *Quicquid incommunicabile est pluribus, illud non potest esse commune tribus personis. Atqui Essentia divina unica incommunicabilis est pluribus. Ergo. Resp. (1.) distinguendo inter essentiam creatam & finitam, & inter essentiam increatam & infinitam. (2.) Essentia divina non communicatur pluribus personis, ita ut singulae partem habeant illius; sed tota Essentia Patris est tota Filii, & tota Spiritus Sancti essentia.*

IV. Obijciunt (III.) *notitiam Dei naturalem: Qualem Deum naturaliter non cognoscimus, talis non est. Atqui Trinum non cognoscimus naturaliter. Ergo. Resp. (1.) Falsissima est Major, quia præter cognitionem Dei naturalem datur & alia, quæ est ex revelatione. (2.) Cognitio Dei, quæ est ex revelatione Verbi, non pugnat cum naturali cognitione. Naturalis enim tantum Deum ut unum essentiam cognoscit; Revelatio autem cognitionem illam unius essentia ulterius format, ne essentiam illam unam personam terminari putemus, sed credamus, in tribus subsistere personis, quod naturaliter ignoramus.*

V. Obijciunt (IV.) *generationem Filii, & processionem Spiritus Sancti, quam Christiani credunt: Quicumque à Deo genitus est, is non potest esse æternus. (Ratio, quia gignens genitum ætate & tempore semper prior est, qui verò antiquiorem se agnoscit, non potest dici æternus.) Atqui Filius à Deo genitus est. Ergo. Id quod de Spiritu Sancto multo magis valet, quod Christiani eum credunt æque à Filio, quam à Patre procedere; procedere ergo prius non potuit, quam Filius existeret, & à Patre esset genitus, adeoque nec Spiritus Sanctus est æternus. Porro: Qui non est æternus, is non est Deus. Atqui Filius & Spiritus Sanctus non est æternus. Ergo. Consequenter non sunt tres Deitatis personæ. Resp. negando Majorem primi Syllogismi. Ratio enim illi addita valet tantum de generatione carnali & humana, quæ ab æternâ Filii Dei generatione toto cœlo differt. Male igitur Judæi Christianis tribuunt, quasi ejusmodi generationem Filii Dei crederent, qualis est hominum. At alia longè doctrina nostra est, fundata verbo æternam generationem revelante, *Psal. II, 7. Prov. IIX, 22, 23.**

VI. Atque hæc quidem sufficiant, quando ex his de reliquis Judæorum argumentis judicare licet. Animus equidem erat, peculiari adhuc capite collecta hinc inde Rabbiorum testimonia exhibere, quæ de Majorum SS. Trinitatem veneratorum fide testantur.

Sed

sed abruptum est; magisq; juvat talia cupientem ablegare ad
Hermanni Wizzi *Judeum Christianizantem in Articulo de SS. Trini-
tate*, Jo. Moltheri *Hodegum Judæorum*. Jo. Steudneri *Alphabetum
Judaicum de Mysterio SS. Trinitatis*, & similes aliorum libros. Unum
addimus in vicem

COROLLARIUM.

Optimè Thomas 1. q. 32. art. 1. concl. *Cum aliquis, inquit, ad pro-
bandam fidem inducis rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irri-
sionem infidelium. Credunt enim, quòd hujusmodi rationibus innitatur,
& propter eas credamus. Exempli locò producimus Jo. Hornbeckium
lib. V. de convert. Iud. c. II. p. 378 pro pluralitate personarum in unâ essen-
tiâ Dei contra Judæos ita disputantem: Non in nudâ constructione plu-
ralis cum singulari hæremus, vel fundamus nostrum argumentum, sed in
admirandâ eâ cum affixò singularis numeri, ut יהוה *quod est ad ver-
bum: DOMINI TUUS. Cujus simile exemplum non datur. Statim in le-
ge Exod. XX, 2. יהוה אלהינו Ego Iehova DOMINI TUUS,
non אלהינו. Pudet ferè, hæc verba descripsisse; adeò falsa,
insulsa, puerilia & ridicula sunt.**

Fæderis antiqui dum dogma fidemque fuisse,
Quæ sunt presentis, ritè pieque doces,
Es, ZEIS, vindex fidei, & defensor Iova,
Et sacra per te floret honor Triadis.
Excipient, mihi crede, hunc premia summa la-
borem,
Et Tibi fiet honos, ac decus ipsa Trias.

f. gr.

D. Georgius Sehmanni

P. P. & Superint.

Ad

Doctissimum Dn. ZEISIUM,
Disputationis hujusce Theologicae Autorem,
Corculum sibi carissimum.

Grandævum sequeris, ZEISI doctissime, PATREM,
Perpetuâq; teris Biblia sacra manu,
Jamq; etiam TRIADIS, magnô sub PRÆSIDE, Sanctæ
Arcanum ex Veteri Fœdere ritè probas.
Maçte his auspiciis TRINO cum NUMINE cœptis;
Præco mox TRIADIS ter-reverendus eris.

Properab. Lipsia

L. JOACHIMUS FELLERUS, PP.
& Academiae Bibliothecarius.

Felix, propositam potuit qui attingere metam;
Faussto Cursori digna corona datur.
Gratulor en! fili, dum scandis pulpita sacra;
Quô metam attingas, prospera Fata precor.
Et DEUS exhilaret, nec non benedictio Jovæ
Undiq; te cingat! Vota Parentis habes.


Filio suo scribebat dilectio


CHRISTIANUS ZEISIUS,
Annum ætatis 75. ingrediens, ut & annum 49. Ministri.

UNUS naturâ, TRINUS quôd verus Iovæ
In personis, quôd Sancta tremenda TRIAS;
Et novisse Deum verum, Sapiencia vera,
Quâ sine non ulli cœlica porta patet.
Hoc Tu, Spes Patriæ atque Patris, Clarissime ZEISI,
Colloquio placido subjicis atque probas.
Grator ovans. Pergas; Dabit incrementa benigna,
Et, quibus es dignus, præmia sancta TRIAS.

*Paucula hæc Contubernali suo honoratissimo, Amico singulari
adjicere voluit, debuit*

AMANDUS Brenzel / Soranus,
SS. Theol. Studiosus.





DISSERTATIO THEOLOGICA
De
MYSTERIO
SS. TRINITATIS

maximè è V. T. Scripturâ
demonstrato,

quam
Veneranda Facultatis Theologicae consensu,
PRÆSIDE

DN. JO. BENEDICTO CARPZOVIO,
SS. Theologiæ Doctore ac Professore

Publico, Facultatis Theologicae h. t. Decano,
Majoris Principum Collegii Collegiato, atq;
ad D. Thomæ Pastore,

*Domino Præceptore, Patrono ac studiorum
suorum Promotore,*
Placido Eruditorum Examine
in Academia Lipsiensi
publicè submittet

CHRISTIANUS VALERIUS ZEISIUS,
Oeltzschâ-Misn. SS. Theol. Stud. & Alumni. Elector.

die post ipsum SS. Trinitatis Festum secundo, h. e.
ad d. 24. Maji. MDCLXXXVII.
in Auditoriè Theologorum Paulinè.

Literis JOHANNIS GEORGI.

T 160

